



De
epistulari Temporum usu Ciceroniano
quaestiones grammaticae.

Scriptisit

programmatis gymnasii Rastenburgiensis

adiunxit


Aemilius Zimmermann.

II.

Rastenburgae.

Typis expressit W. Kowalski.

1887. Progr. Nr. 15.



§ 41. Quoniam eo libello, quem proximo anno de epistulari Temporum usu Cicero-
niano scriptum edidimus, accuratius, quam usque ad id tempus factum erat, exposuimus, quae
leges in epistulis observentur a Cicerone in adhibendis Praeteritis ad exprimenda ea, quae vel
sunt vel fiunt scribendi tempore, quaerendum nunc nobis videtur, quibus condicionibus de
iis, quae sunt eiusdem illius temporis, Praesentia ab illo in epistulis sint usurpata. Hac
in quaestione primum de scribendi et mittendi et de iis verbis locutionibusque, quae pertinent
ad rem aliquam cum aliquo communicandam aut ad rem aliquam personamve ad aliquem
mittendam, deinde de ceteris verbis locutionibusque nobis agere est in animo. In illis
enim Praeteritorum usus epistularis multo latius patet quam in his, illorumque Praesentia
non ponuntur nisi certis quibusdam condicionibus, cum haec multo saepius Praesentibus
expressa legantur neque eorum nisi certis quibusdam condicionibus usurpentur Praeterita epi-
stularem consuetudinem sequentia. Locorum autem numerum, in quibus illorum verborum
locutionumque Praesentia fiunt obviam in epistulis, in duas partes nobis putamus distribu-
endum, quarum in altera ii sunt, in quibus Praesentia ex ipsa percipiendi ratione in scri-
bendis epistulis Latinorum propria fluxisse videntur, altera ii continentur, in quibus illa
communis sermonis usum secuta intellegimus.

§ 42. Atque epistularum consuetudinem Latinos quasi colloquium sibi effingere, quod
reddita habeatur epistula, in quo is, qui scribit, tanquam si praesens adesset legendi tempore,
res aliquas communicet cum eo, qui accepturus est epistulam, in eo libello, quem supra com-
memoravimus, a nobis est demonstratum (cf. § 1). Unde efficitur, cum ea, quae vel sunt vel fiunt
ipso scribendi tempore, quasi vel fuerint vel facta sint, ad legendi tempus respiciens ille, qui
scribit, exprimat Praeteritis, ut de iis ei, quae vel sunt vel fiunt inde a scribendi tempore
usque ad legendi tempus utraque, cum ei, qui accepturus est epistulam, eodem modo
praesentia videantur atque ipsi, Praesentia Tempora grammatica sint ponenda⁵¹.

§ 43. I. Huc primum referendi nonnulli sunt loci, in quibus Praesentia pertinent ad
litteras vel scribendas vel mittendas in universum (cf. § 47). Fam. XV, 21, 4: Primum enim

51. Cf. Broeder. Gr. Lat.³, Lps. 1796, § 607b. Scheller. Gr. Lat.⁴, Lps. 1803, § 4, p. 63c. Ramshorn.
Gr. Lat.², Lps. 1830, § 164 I. Feldbausch. Gr. Lat., Heidelb. 1837, § 415, an. 1. Putsch. Gr. Lat., Jen. 1850,
§ 289,6. Putsch. Gr. Lat.²², ed. Schottmueller., Jen. 1880, § 192 C, an. Dau, über den richtigen Gebrauch der
historischen Temporum, insbesondere des Impf. der lat. Spr., Lps. 1819, p. 43. Kieffer, Gebrauch der Tempora
und des Reflexivs in der lat. Spr., Bipont. 1832, p. 22.

ego illas Calvo litteras nisi non plus quam has, quas nunc legis, existimans exituras; aliter enim scribimus, quod eos solos, quibus mittimus, aliter, quod multos lecturos putamus. Cf. Fam. IX, 21, 1. Att. IX, 4, 1. Fam. VII, 18, 2. Q. F. I, 1, 13, 37: Illud, quod est epistulae proprium, ut is, ad quem scribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat, praetermittendum esse non puto. Fam. XIII, 1, 1: Interea, quod per litteras et agi tecum et, ut arbitror, confici potest, agam.⁵² Cf. locum ad scribendum librum pertinentem Fam. V, 12, 8: Et verecundius ipsi de sese scribant necesse est, si quid est laudandum, et praetereant, si quid reprehendendum est⁵³.

§ 44. II. Neque multum ab hoc usu abhorrent Praesentia, quae usurpantur aut de iis, quae alicuius personae sunt propria in epistularum consuetudine atque officio vel semper vel aliquamdiu, aut de iis, quae spectant ad ipsam epistularum naturam et rationem vel semper vel aliquamdiu eandem vel aliqua ex parte in dies magis commutatam (cf. §§ 47. 50). Fam. III, 9, 3: Nam profecto non est meum, qui in scribendo — ut soles admirari — tantum industriae ponam, committere, ut neglegens in scribendo fuisse videar. Fam. IV, 4, 2: Atque hoc ipso melior est tua quam nostra condicio, quod tu, quid doleat, scribere audes, nos ne id quidem tute possumus. Fam. I, 7, 1: Alterum facio libenter, ut, quoniam intervallo locorum et temporum diuncti sumus, per litteras tecum quam saepissime conloquar. Quod si rarius fiet quam tu expectabis, id erit causae, quod non eius generis meae litterae sunt, ut eas audeam temere committere. Fam. XV, 19, 1: Non mehercule in hac mea peregrinatione quicquam libentius facio, quam scribo ad te; videor enim cum praesente loqui et iocari. Cf. Q. F. III, 1, 3, 7. Fam. XIV, 2, 1: Noli putare me ad quemquam longiores epistulas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. Nec enim habeo, quod scribam, nec hoc tempore quicquam difficilius facio. Ad te vero et ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrimis scribere. Fam. VI, 4, 4: Sed haec satis multa vel plura potius, quam necesse fuit; facit autem non loquacitas mea, sed benevolentia longiores epistulas. Cf. Q. F. I, 1, 16, 45. Att. V, 6, 2: Sed ad te brevior iam in scribendo incipio fieri dubitans, Romaene sis an iam profectus; quod tamen quoad ignorabo, scribam aliquid potius quam committam, ut, tibi cum possint reddi a me litterae, non reddantur. Att. XI, 19, 1: Tu ad nos et rarius scribis, quam solebas, et brevius; credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere aut audire posse. Att. V, 7, 1: Quotidie vel potius in dies singulos breviores litteras ad te mitto; cotidie enim magis suspicor te in Epirum iam profectum. Att. I, 19, 1: Non modo si mihi tantum esset otii, quantum est tibi, verum etiam si tam breves epistulas vellem mittere, quam tu soles facere, te superarem et in scribendo multo essem crebrior; sed ad summas atque incredibiles occupationes meas accedit, quod nullam a me epistolam ad te volo sine argumento ac sententia pervenire. Fam. VII, 6, 1: In omnibus meis epistulis, quas ad Caesarem aut ad Balbum mitto, legitima quaedam est assensio commendationis tuae nec ea vulgaris, sed cum aliquo insigni iudicio

52. Cf. D. Bruti ep. Fam. XI, 10, 2.

53. Cf. Caecinae ep. Fam. VI, 7, 1.

meae erga te benevolentiae. Fam. IX, 21, 1: Verum tamen quid tibi ego videor in epistulis? Nonne plebeio sermone agere tecum?⁵⁴

§ 45. III. Adiungimus his Praesentia, quae vel scribendi vel mittendi vel perferendi actionem significant talem, quae non multum intermissa inde a scribendi tempore continuari cogitetur usque ad legendi tempus ultraque.

Ad litteras vel scribendas vel mittendas vel perferendas hi pertinent loci: Fam. XI, 25, 2: De Bruto autem nihil adhuc certi; quem ego, quemadmodum praecipis, privatis litteris ad bellum commune vocare non desino. Fam. VII, 7, 1: Ego te commendare non desisto; sed quid proficiam, a te scire cupio. Spem maximam habeo in Balbo, ad quem de te diligentissime et saepissime scribo. Att. IX, 14, 2: A te nihil; ne Anteros quidem quid litterarum. Nec mirum; quid enim est, quod scribamus? Ego tamen nullum diem praetermitto. Fam. XVI, 6, 2: In Italiam euntibus omnibus ad me litteras dabis, ut ego euntem Patras neminem praetermitto. Cf. Q. F. III, 3, 1. Att. VI, 2, 7: Omni igitur modo egi cum rege et ago quotidie, per litteras scilicet. Att. V, 7, 1: Quotidie vel potius in dies singulos breviores litteras ad te mitto; cotidie enim magis suspicor te in Epirum iam profectum. Att. XII, 27, 2: Et ego ex tuis animadverto litteris et profecto tu ex meis nihil habere nos, quod scribamus; eadem cotidie, quae iam iamque contrivimus: tamen facere non possum, quin cotidie ad te mittam, ut tuas accipiam. Att. XIII, 26, 2: Equidem credibile non est quantum scribam die, quin etiam noctibus. Nihil enim somni. Fam. XV, 16, 1: Ego si semper haberem, cui darem, vel ternas in hora darem. Fam. II, 9, 1: In iis enim sum locis, quo et propter longinquitatem et propter atrocina tardissime omnia perferuntur.⁵⁵ — Ad rerum urbanarum acta vel perscribenda vel mittenda vel perferenda hi spectant loci: Fam. XII, 28, 3: In re publica quid agatur, credo te ex eorum litteris cognoscere, qui ad te acta debent perscribere. Fam. V, 8, 3: Quae sint acta quaeque agantur, domesticorum tibi litteris declarari puto. Cf. Fam. XII, 22, 1. [Brut. II, 1, 3: Acta quae sint quaeque agantur, scio perscribi ad te diligenter]. Fam. XII, 8, 1: Scelus affinis tui Lepidi summamque levitatem et inconstantiam ex actis, quae ad te mitti certo scio, cognosse te arbitror. Fam. XII, 23, 2: Rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio. Fam. XII, 9, 1: Nostras enim res in actis perferri ad te certo scio. Fam. X, 28, 3: Quod nisi res urbanas actaque omnia ad te perferri abitrarer, ipse perscriberem, quamquam eram maximis occupationibus impeditus.

Ad libros vel scribendos vel describendos vel mittendos hi pertinent loci: Att. XII, 14, 3: Totos dies scribo, non quo proficiam quid, sed tantisper impediior. Att. XII, 40, 2: Nunc ipsum ea lego, ea scribo, ut ii, qui mecum sunt, difficilius otium ferant quam ego laborem. Att. II, 1, 3: Oratiunculas autem et quas postulas et plures etiam mittam, quoniam quidem ea, quae nos scribimus adolescentulorum studiis excitati, te

54. Cf. Caecinae ep. Fam. VI, 7, 4. Planci ep. Fam. X, 24, 6. Pollionis ep. Fam. X, 33, 1. Balbi ep. Att. IX, 7 B, 3.

55. Cf. Ciceronis f. ep. Fam. XVI, 25. Caelii ep. Fam. VIII, 4, 1.

etiam delectant. Fam. XVI, 22, 1: Scribebam illa, quae dixeram, πολιτικά, spissum sane opus et operosum. Sed si ex sententia successerit, bene erit opera posita; sin minus, in illud mare deiiciemus, quod spectantes scribimus; aggrediemur alia, quoniam quiescere non possumus. Att. XV, 13, 6: Nos hic φιλοσοφούμεν — quid enim aliud? — et τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus προσηγοῦμενque Ciceroni. Fam. IX, 20, 3: Haec igitur est nunc vita nostra: Mane salutamus domi et bonos viros multos, sed tristes et hos laetos victores; qui me quidem perofficiose et peramanter observant. Ubi salutatio defluxit, litteris me involvo, aut scribo aut lego. Fam. IX, 26, 4: Sic igitur vivitur: Quotidie aliquid legitur aut scribitur; dein, ne amicis nihil tribuamus, epulamur una non modo contra legem, si ulla nunc lex est, sed etiam intra legem et quidem aliquanto. Att. XII, 52, 3: De lingua Latina securi es animi. Dices, qui talia conscribis? Ἀπόγραφα sunt; minore labore fiunt; verba tantum affero, quibus abundo. Q. F. III, 5 et 6, 6: De Latinis vero, quo me vertam, nescio: ita mendose et scribuntur et veneunt; sed tamen, quod fieri poterit, non neglegam. Att. XIII, 21, 5: Mirifice Caerellia studio videlicet philosophiae flagrans describit a tuis; istos ipsos de finibus habet. Att. II, 20, 6: A Vibio libros accepi; poëta ineptus, nec tamen scit nihil et est non inutilis. Describo et remitto. Att. XIII, 23, 2: Libri ad Varronem non morabantur; sunt enim effecti, ut vidisti; tantum librariorum menda tolluntur. De quibus libris scis me dubitasse, sed tu videris. Item, quos Bruto mittimus, in manibus habent librarii. Fam. XIII, 21, 4: Varroni quidem quae scripsi te auctore, ita propero mittere, ut iam miserim describenda.⁵⁶

§ 46. IV. Leguntur satis saepe Praesentia in locis iis, in quibus vel scribendi vel mittendi vel verbis vel locutionibus negationes sunt appositae aut ubi alio modo sententia fit negativa. Qui usus nonnunquam contrarius est ei, quem proxime antecedentibus tractavimus, cum condicio rei non faciendae continuari videatur inde a scribendi tempore usque ad legendi tempus ultraque (cf. §§ 49. 50. 53. 54. 57). Att. XII, 39, 2: Sed quoniam et abes — sic enim arbitror — et scribendi necessitas nulla est, conquiescant litterae, nisi quid novi exstiterit. Fam. XII, 30, 1: Illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impedi occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitrato facultas nulla detur: non enim te epistulis, sed voluminibus lacesserem, quibus quidem me a te provocari oportebat. Fam. VII, 9, 1: Jam diu ignoro, quid agas; nihil enim scribis, neque ego ad te his duobus mensibus scripseram. Att. XI, 21, 3: Tu ad me tamen velim quam saepissime scribas, eoque magis, quod praeterea nemo scribit; ac si omnes, tuas tamen maxime exspectarem. Fam. XII, 9, 1: Tanquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos praeter rumores de oppresso Dolabella, satis illos quidem constantes, sed adhuc sine auctore. Fam. XVI, 12, 6: Adhuc neminem videram, qui te postea vidisset quam M. Volusius, a quo tuas litteras accepi; quod non mirabar: neque enim meas puto ad te tanta hieme perferri.

Referenda huc sunt exempla satis multa locutionum 'non habeo, nihil habeo, non est, nihil est, quid est?' aliorumque idem fere significantium. Fam. XIV, 6: Nec saepe est, cui

56. Cf. Caecinae ep. Fam. VI, 7, 4.

litteras demus, nec rem habemus ullam, quam scribere velimus. Fam XIV, 2, 1: Noli putare me ad quemquam longiores epistulas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. Nec enim habeo, quod scribam, nec hoc tempore quicquam difficilius facio. Ad te vero et ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrimis scribere. Att. XII, 12, 2: Nihil habeo, ad te quod perscribam, sed tamen institui cotidie mittere, ut eliciam tuas litteras. Cf. Att. I, 12, 4. III, 8, 2. V, 5, 1. VII, 19. XI, 11, 1. 19, 1. XII, 27, 2. XIII, 21, 5. XIV, 12, 3. Fam. XIV, 16. XV, 5, 1. 16, 1. Att. XII, 30, 1: Quaero, quod ad te scribam, sed nihil est: eadem cotidie. Q. F. III, 8, 1: Superiori epistulae quod respondeam, nihil est: quae plena stomachi et querelarum est. Cf. Att. XI, 11, 1. Fam. XV, 21, 4. Att. IX, 14, 2: A te nihil; ne Anteros quidem quid litterarum. Nec mirum; quid enim est, quod scribamus? Ego tamen nullum diem praetermitto. Att. VII, 6, 1: Plane deest, quod ad te scribam: nota omnia tibi sunt, nec ipse habeo, a te quod exspectem; tantum igitur nostrum illud sollemne servemus, ut ne quem istuc euntem sine litteris dimittamus. Cf. Att. VII, 5, 4. Att. IX, 4, 1: Ego etsi tam diu requiesco, quam diu aut ad te scribo aut tuas litteras lego, tamen et ipse egeo argumento epistularum et tibi idem accidere certo scio. Quae enim soluto animo scribi solent, temporibus his excluduntur; quae autem sunt horum temporum, ea iam contrivimus.⁵⁷

§ 47. V. Denique multa rerum, quae fieri solent, actionumque in epistularum consuetudine atque officio repetitarum exempla afferre possumus, in quibus verba locutionesque, de quibus agimus, Praesentibus expressa leguntur (cf. § 42).

Fam. IX, 21, 1: Privatas causas et eas tenues agimus subtilius; capitis aut famae scilicet ornatus; epistulas vero quotidianis verbis texere solemus. Fam. XIII, 6, 3: Eius ego studio vix videor mihi satisfacere posse, si utar verbis iis, quibus, cum diligentissime quid agimus, uti solemus. Fam. II, 4, 2: Quam ob rem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar eam clausula, qua soleo, teque ad studium summae laudis cohortabor. [Brut. I, 1, 1: Non soleo, mi Brute, quod tibi notum esse arbitror, temere affirmare de altero; erat enim periculosum propter occultas hominum voluntates multiplicesque naturas]. Cf. scribere consuevi Fam. XIII, 69, 1. Att. IX, 4, 1: Quae enim soluto animo familiariter scribi solent, temporibus his excluduntur; quae autem sunt horum temporum, ea iam contrivimus. Att. I, 19, 1: Non modo, si mihi tantum esset otii, quantum est tibi, verum etiam, si tam breves epistulas vellem mittere, quam tu soles facere, te superarem et in scribendo multo essem crebrior quam tu. Fam. VII, 18, 2: Sed ut ad epistulas tuas redeam, cetera belle; illud miror: quis solet eodem exemplo plures dare, qui sua manu scribit? Cf. locos non ad litteras pertinentes Fam. VII, 17, 3: 'Hoc', quemadmodum vos scribere soletis in vestris libris, 'idem Q. Cornelio videbatur'. Fam. XV, 6, 3: Haec enim senatus consulta non ignoro ab amicissimis eius, cuius honor agitur, scribi solere.

Q. F. III, 1, 6, 21: Iam enim diu cogitaveram ex eo, quod tu ad me scripseras, ut, si quid

57. Cf. Caelii epp. Fam. VIII, 2, 2. 12, 4.

esset, quod ad te diligentius perferri vellem, illi darem, quod mehercule hisce litteris, quas vulgo ad te mitto, nihil fere scribo, quod, si in alicuius manus inciderit, moleste ferendum sit.

Att. VII, 12, 3: Interim velim mihi ignoscas, quod ad te scribo tam multa totiens. Q. F. I, 3, 5: De quo scribunt ad me quidem multi multa et se sperare demonstrant. Fam. XIV, 1, 1: Et litteris multorum et sermone omnium perfertur ad me incredibilem tuam virtutem et fortitudinem esse teque nec animi nec corporis laboribus defatigari.

Att. XIII, 4, 2: Sed quoniam saepius de nominibus quaeris, quid placeat, ego quoque tibi saepius respondeo placere. Fam. I, 7, 1: Legi tuas litteras, quibus ad me scribis gratum tibi esse, quod crebro certior per me fias et meam erga te benevolentiam perspicias: quorum alterum mihi, ut te plurimum diligam, facere necesse est, si volo is esse, quem tu me esse voluisti; alterum facio libenter, ut, quoniam intervallo locorum et temporum diiuncti sumus, per litteras tecum quam saepissime conloquar. Att. XVI, 16 E, 15: Ignosce mihi, quod, cum antea accuratissime de Buthrotiis ad te scripserim, eadem de re saepius scribam. Non mehercule, mi Plance, facio, quo parum confidam aut liberalitati tuae aut nostrae amicitiae. Q. F. I, 1, 16, 45: Sed ego, qui, cum tua lego, te audire, et qui, cum ad te scribo, tecum loqui videor, idcirco et tua longissima quaque epistula maxime delector et ipse in scribendo sum saepe longior. Fam. VII, 7, 1: Spem maximam habeo in Balbo, ad quem de te diligentissime et saepissime scribo. Fam. V, 12, 1: Quod etsi mihi saepe ostendis te esse facturum, tamen ignoscas velim huic festinationi meae. Cf. Att. VII, 26, 3: Tibi autem crebro ad me scribenti de eius officio nihil rescripsi, quod diem ex die exspectabam, ut statuerem, quid esset faciendum. Fam. XII, 5, 2: Hirtius nihil nisi considerate, ut mihi crebris litteris significat, acturus videbatur. Att. X, 8, 1: Sed cum ad me saepe mea Tullia scribat orans, ut, quid in Hispania geratur, exspectem, et semper adscribat idem videri tibi idque ipse etiam ex tuis litteris intellexerim, non puto esse alienum me ad te, quid de ea re sentiam, scribere. Att. V, 8, 3: Nunc rem totam perspicias velim. Nobis enim scribuntur saepe maiora. Fam. XIII, 27, 1: Licet eodem exemplo saepius tibi huius generis litteras mittam, cum gratias agam, quod meas commendationes tam diligenter observes . . . sed tamen non parcam operae, et ut vos soletis in formulis, sic ego in epistulis 'de eadem re alio modo'. Fam. IV, 4, 1: Accipio excusationem tuam, qua usus es, cur saepius ad me litteras uno exemplo dedisses, sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia aut improbitate eorum, qui epistulas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur; illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate — sic enim appellas — iisdem verbis epistulas saepius mittere, nec nosco nec proba. Fam. VII, 7, 1: Illud soleo mirari, non me totiens accipere tuas litteras, quotiens a Quinto mihi fratre adferantur. Att. VIII, 9, 3: Lepido quidem . . . numquam placuit ex Italia exire, Tullo multo minus; crebro enim illius litterae ab aliis ad nos commeant. Fam. V, 13, 2: Itaque hoc saepius dicendum tibi non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis litteris gratius. Fam. XIII, 75, 1: De quo et praesens tecum egi diligenter, cum tu mihi humanissime respondisti, et scripsi ad te accurate antea, sed putat interesse sua me ad te quam saepissime scribere.

Att. XI, 21, 3: Tu ad me velim quam saepissime scribas eoque magis, quod praeterea nemo scribit. Att. IV, 6, 2: A te litteras crebro ad me scribi video; sed omnes uno tempore accepi.⁵⁸ Cf. locum ad scribendas orationes pertinentem Att. XII, 40, 2: Συμβουλευτικόν saepe conor.

Att. IV, 16, 15: Ego ad te propterea minus saepe scribo, quod certum non habeo, ubi sis aut ubi futurus sis. Huic tamen nescio cui, quod videbatur is te visurus esse, putavi dandas esse litteras. Fam. XIV, 4, 1: Ego minus saepe do ad vos litteras, quam possum, propterea quod cum omnia mihi tempora sunt misera tum vero, cum aut scribo ad vos aut vestras lego, conficior lacrimis sic, ut ferre non possim. Fam. XIV, 6: Nec saepe est, cui litteras demus, nec rem habemus ullam, quam scribere velimus. Fam. VII, 7, 1: Illud soleo mirari non me totiens accipere tuas litteras, quotiens a Quinto mihi fratre afferantur.

Att. XI, 19, 1: Tu ad nos et rarius scribis, quam solebas, et brevius; credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere aut audire posse. Att. I, 9, 1: Nimium raro nobis abs te litterae adferuntur, cum et multo tu facilius reperias, qui Romam proficiscantur, quam ego, qui Athenas, et certius tibi sit me esse Romae quam mihi te Athenis. Att. IV, 2, 1: Si forte rarius tibi a me quam a ceteris litterae redduntur, peto a te, ut id non modo neglegentiae meae, sed ne occupationi quidem tribuas, quae etsi summa est, tamen nulla esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri et officii mei. Att. VI, 2, 1: Peto a te, ne me putes oblivione tui rarius ad te scribere, quam solebam, sed aut gravitate valetudinis, qua tamen iam paullum videor levare, aut quod absim ab urbe, ut, qui ad te proficiscatur, scire non possim.

Q. F. III, 1, 3, 8: Id facit Oppius nonnunquam necessario, ut, cum tabellarios constituerit mittere litterasque a nobis acceperit, aliqua re nova impediatur et necessario serius, quam constituerat, mittat, neque nos datis iam epistulis diem commutari curemus.

Att. XIII, 26, 2: Equidem credibile non est quantum scribam die, quin etiam noctibus. Nihil enim somni.

Att. X, 8, 3: Scribunt enim ad me amici eius me illi nullo modo satis fecisse, quod in senatum non venerim. Att. XV, 16a: Itemque ceteri praeclara scribunt.⁵⁹ Fam. XIV, 2, 4: Ego, ad quos scribam, nescio, nisi ad eos qui ad me scribunt, aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid scribitis. Fam. I, 9, 25: Ego, quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat, nescio. Att. V, 8, 3: Sed si ille queritur, si scribit ad amicos, si idem Fausta vult, Philotimus, ut ego ei coram dixeram mihi que ille receperat, ne sit invito Milone in bonis. Fam. VI, 4, 4: Sed haec satis multa vel plura potius, quam necesse fuit; facit autem non loquacitas mea, sed benevolentia longiores epistulas. Fam. XIV, 2, 1: Noli putare me ad quemquam longiores epistulas scribere, nisi si quis ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. Cf. Att. I, 19, 1. Fam. I, 5b, 1. VI, 14, 1. Fam. VII, 6, 1: In omnibus meis epistulis.

⁵⁸. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 3, 1. Caesaris ep. Att. IX, 6 A.

⁵⁹. Pompei ep. Att. VIII, 12 C, 1.

quas ad Caesarem aut ad Balbum mitto, legitima quaedam est adsensio commendationis tuae, nec ea vulgaris, sed cum aliquo insigni iudicio meae erga te benevolentiae.⁶⁰

Fam. XIV, 16: Etsi eius modi tempora nostra sunt, ut nihil habeam, quod aut a te litterarum exspectem aut ipse ad te scribam, tamen nescio quo modo et ipse vestras litteras exspecto et scribo ad vos, cum habeo, qui ferat. Q. F. III, 3, 1: Quarre non equidem iam te rogo, ut ad me de te, de rebus istis scribas — numquam enim, cum potes, praetermittis — sed hoc te scire volo, nihil fere umquam me sic exspectasse ut, cum haec scribebam, tuas litteras. Cf. locos non ad scribendas epistulas pertinentes Fam. IX, 15, 4: Romae cum sum et urgeo forum, senatus consulta scribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum. Et quidem, cum in mentem venit, ponor ad scribendum. Fam. IX, 20, 3: Ubi salutatio defluxit, litteris me involvo, aut scribo aut lego.

Att. IX, 4, 1: Ego etsi tam diu requiesco, quam diu aut ad te scribo aut tuas litteras lego, tamen et ipse egeo argumento epistularum et tibi idem accidere certo scio. Fam. XIV, 4, 1; Ego minus saepe do ad vos litteras, quam possum, propterea quod cum omnia mihi tempora sunt misera tum vero, cum aut scribo ad vos aut vestras lego, conficior lacrimis sic, ut ferre non possim. Q. F. I, 1, 16, 45: Sed ego, qui, cum tua lego, te audire, et qui, cum ad te scribo, tecum loqui videor, idcirco et tua longissima quaque epistula maxime delector et ipse in scribendo sum saepe longior. Fam. XV, 16, 1: Fit enim nescio qui, ut quasi coram adesse videare, cum scribo aliquid ad te. Att. XII, 39, 2: Tamen adlevor, cum loquor tecum absens, multo etiam magis, cum tuas litteras lego.

§ 48. Veniamus ad eos locos, in quibus verborum locutionumque, de quibus agimus, Praesentia communis sermonis usum secuta esse intellegimus. Quorum non multa in ineuntibus exstant epistulis. Nam in inchoanda epistula solebat is, qui accesserat ad eam scribendam, habere rationem eius temporis, quo futurum erat ut legeretur epistula. Idem vero, dum in media epistula versatur in cogitandis aliis rebus ex aliis, in explicandis iis, quae erant ipsius temporis, quo scribebat epistulam, non continuo animum intendebat ad illud legendi tempus, sed quasi cogitando insistebat nonnunquam in scribendi tempore. Atque rei ferebat natura, ut in vivido ille alacrique epistularum sermone, in exprimendis iis, quae vivide alacriterque eius commovebant animum punctumque fortasse temporis in eo versabantur, impetu magis quodam subitoque ictu cogitandi uteretur interdum quam cogitatione omitteretque respectum illum epistularem moram nescio quam et impedimentum sibi afferentem.⁶¹ In eiusmodi locis quae leguntur Praesentia, non esse numeranda in historicis, quae dicuntur, sed eorum naturam ab his plane esse alienam, ex iis, quae infra tractabimus, satis apparebit. At quamquam Praesentia illa non raro obviam fiunt in epistulis, tamen tanta sane erat consuetudo spectandi ad legendi tempus, ut in iis locis eam, ubi epi-

60. Cf. Planci ep. Fam. X, 24, 6. Balbi ep. Att. IX, 7 B, 3. Caellii ep. Fam. VIII, 3, 1.

61. Cf. Ramsh. Gr. Lat.² § 164, I, not. Kieffer., Gebrauch der Tempora und des Reflexivs in der lat. Spr. p. 22, II, an. Feldbausch. Gr. Lat. § 415, an. 2. 3.

stulae tenor non erat unus et perpetuus, sed ubi accedebatur aut ad novam alicuius rei partem aut ad novam rem vel commemorandam vel tractandam, ac maxime quidem in extrema epistula quasi ius suum obtinere videamus.

Ex quibus ne quis concludat plane sine ulla lege a regula epistulari recedi potuisse, iis, quae sequentur, demonstrare conabimur eum, qui scribebat litteras, non usurpasse Praesentia nisi certis quibusdam condicionibus de rebus, quarum ipsi maxime, non ei, qui accepturus erat litteras, ratio erat habenda quorumque momentum vertebatur ipso vel scribendi vel mittendi, non accipiendi aut legendi tempore. Neque tamen facere possumus, quin commemoremus vel obtinentibus illis condicionibus Praeterita consuetudinem epistularem sequentia inveniri.

§ 49. I. Ac primum quidem Praesens satis saepe ponitur, ubi vel verbis, de quibus agimus, vel locutionibus adiungitur, aut qua de causa aut quo consilio vel scribatur aliquid vel mittatur vel non scribatur vel non mittatur (cf. §§ 46. 53. 54. 57. 58).

Q. F. II, 3, 6. 7: Quae tibi eo scribo, quod me de retinenda Sestii gratia litteris saepe monuisti. Pridie Idus Febr. haec scripsi ante lucem; eo die apud Pomponium in eius nuptiis eram cenaturus. Att. XII, 53: Ego etsi nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, quia tecum loqui videor. Fam. VI, 5, 2: Sed tamen, quia fieri potest, ut tu ea perturbatiore animo cogites, puto esse meum, quid sentiam, exponere. Att. X, 8, 1: Et res ipsa monebat et tu ostenderas et ego videbam de iis rebus, quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tempus esse. Sed cum ad me saepe mea Tullia scribat orans, ut quid in Hispania geratur, exspectem, et semper adscribat idem, videri tibi, idque ipse etiam ex tuis litteris intellexerim, non puto esse alienum me ad te, quid de ea re sentiam, scribere. Fam. I, 8, 4: Haec ego ad te ob eam causam maxime scribo, ut iam de tua quoque ratione meditare. Fam. XIII, 47: Quid tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? Sed tamen, ut scires eum a me non diligi solum, verum etiam amari, ob eam rem tibi haec scribo. Fam. I, 7, 10: Quod eo ad te brevius scribo, quia me status hic rei publicae non delectat; scribo tamen, ut te admoneam. Q. F. I, 1, 2, 7: Atque haec nunc, non ut facias, sed ut te facere et fecisse gaudeas, scribo. Att. XIV, 12, 3: Quamquam dudum nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, non ut te delectem meis litteris, sed ut eliciam tuas. Att. XII, 15, 3: Haec ad te scribo, non ut queas tu demere sollicitudinem, sed ut cognoscam, eequid tu ad ea afferas, quae me conficiunt; ad quae gener accedit et caetera; quae fletu reprimor ne scribam. Q. F. I, 1, 16, 45: Atque haec non eo dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitasse, sed potius ut currentem incitasse videatur. Att. VIII, 12, 1: Huius autem epistulae non ea causa est, ut ne quis a me dies intermittatur, sed etiam haec iustior, ut a te impetrarem, ut sumeres aliquid temporis. Q. F. I, 1, 4, 14: Nec tamen haec oratio mea est eiusmodi, ut te in tuos aut durum esse nimium aut suspiciosum velim. [Brut. I, 15, 3: Quod si ita est, utriusque rei meum iudicium studeo tibi esse notissimum, neque solum ut Solonis dictum usurpem, qui et sapientissimus fuit ex septem et legum scriptor solus ex septem: is rem publicam contineri duabus rebus dixit, praemio et poena]. Att. III, 15, 4: Neque haec eo scribo, quo te non meo casu maximo dolore esse affectum sciam. Fam. XI, 29, 3: Tu, mi Oppi, conservabis amorem tuum — etsi more magis hoc qui-

dem scribo, quam quo te admonendum putem — meaque omnia tuebere. Fam. VII, 5, 2: Sustulimus manus et ego et Balbus: tanta fuit opportunitas, ut illud nescio quid non fortuitum, sed divinum videretur. Mitto igitur ad te Trebatium atque ita mitto, ut initio mea sponte, post autem invitatur tuo mittendum duxerim.⁶²

Q. F. III, 9, 3: Quam autem te velim cautum esse in scribendo, ex hoc conicito, quod ego ad te ne haec quidem scribo, quae palam in re publica turbantur, ne cuiusquam animum meae litterae interceptae offendant. Fam. XIII, 7, 2: Hoc etsi commune videtur esse cum multis, tamen mihi crede singulares huic municipio calamitates accidisse; quas idcirco non commemoro, ne de miseriis meorum necessariorum conquerens homines, quos nolo, videar offendere. Att. III, 15, 2: Nolo commemorare, quibus rebus sim spoliatus, non solum quia non ignoras, sed etiam ne scribam ipse dolorem meum. Hoc confirmo, neque tantis bonis esse privatum quemquam neque in tantas miserias incidisse. Fam. XV, 16, 3: Qui id tibi in mentem venit? inquires. Quia nihil habebam, quod scriberem. De re publica enim nihil scribere possum; nec enim, quod sentio, libet scribere. Att. XII, 20, 2: Ad Ligarianam de uxore Tuberonis et privigna neque possum iam addere — est enim pervolgata — neque Tuberonem volo offendere; mirifice est enim *φιλάνθρωπος*. Att. X, 1, 4: Me legatum iri non arbitror, cuius adhuc, ut optavi, mentio facta nulla est. Eo minus habeo necesse scribere aut etiam cogitare, quid sim facturus, si acciderit, ut leger. Fam. I, 4, 3: Ego neque de meo studio neque de non nullorum iniuria scribendum mihi esse arbitror: quid enim aut me ostentem, qui, si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar meritorum tuorum adsecutus, aut de aliorum iniuriis querar? Quod sine summo dolore facere non possum. Cf. VII, 2, 8. Att. I, 17, 2: Nam quanta sit in Quinto fratre meo comitas, quanta iucunditas, quam mollis animus ad accipiendam et ad deponendam offensionem, nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere. Fam. IV, 7, 3: De quo quid sentiam, nihil attinet dicere, cum appareat, ipse quid fecerim. Cf. Fam. VI, 9, 2. 12, 2. Fam. V, 5, 1: Plane nil est, quod scribam. Nam nec, quod mandem, habeo — nihil enim praetermissum est — nec quod narrem — novi enim nihil — nec iocandi locus; ita me multa sollicitant. Cf. Att. XI, 11, 1. Att. V, 6, 2: Nec tamen iam habeo, quod aut mandem tibi aut narrem: mandavi omnia; quae quidem tu, ut polliceris, exhaustis; narrabo, cum aliquid habebo novi. Cf. Att. VII, 5, 4. 6, 1. Fam. XII, 9, 1: Brevitas tuarum litterarum me quoque breviorum in scribendo facit; et, vere ut dicam, non satis occurrit, quid scribam; nostras enim res in actis perferri ad te certo scio, tuas autem ignoramus. Att. X, 8, 9: Ne hercule ego quidem reperio, quid scribam; sedeo enim *πλουδοκῶν*. Cf. Att. XI, 5, 1. Att. XI, 18, 1: De illius Alexandria discessu nihil adhuc rumoris contraque opinio valde esse impeditum; itaque nec mitto, ut constitueram, Ciceronem et te rogo, ut me hinc expedias.

§ 50. Pertinent huc ii quoque loci, in quibus significatur, vel qua de causa vel quo consilio quid tempore quodam aut modo ac ratione aut animi habitu vel scribatur vel non scribatur (cf. §§ 44. 47. 51. 53. 54).

62. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 17, 1. D. Bruti epp. Fam. XI, 9, 2. 20, 4.

Att. XI, 1, 2: Ob eamque causam serius ad te scribo, quod sero intellexi, quid timendum esset. Fam. VI, 6, 1: Nunc, ut spero, brevi gratulabimur; itaque in aliud tempus id argumentum epistulae differo. His autem litteris animum tuum . . . confirmandum etiam atque etiam puto.

Fam. III, 5, 3: Sed mihi minus multa libet de aequitate rei scribere, ne causa potius apud te valuisse videar quam gratia. Cf. Fam. XV, 20, 4. Fam. IV, 13, 6: Hac de re et de hoc genere toto hoc scribo parcius, quod te, id quod ipse confido, sperare malo te esse usurum tuis. Fam. I, 7, 10: Quod eo ad te brevius scribo, quia me status hic rei publicae non delectat; scribo tamen, ut te admoneam. Att. V, 6, 2: Sed ad te brevior iam in scribendo incipio fieri dubitans, Romaene sis an iam profectus. Fam. XII, 9, 1: Brevitas litterarum tuarum me quoque brevior in scribendo facit, et, vere ut dicam, non satis occurrit, quid scribam.⁶³

Fam. II, 9, 1: Et cum gratulor, tum vero quibus verbis tibi gratias agam, non reperio, quod ita factus sis, ut dederis nobis, quem ad modum scripseras ad me, quem semper videre possemus. Fam. II, 11, 1: Putarasne unquam accidere posse, ut mihi verba deessent, neque solum ista vestra oratoria, sed haec etiam levia nostratia? Desunt autem propter hanc causam, quod mirifice sum sollicitus, quidnam de provinciis decernatur. — Att. X, 14, 1: Mihi quidem etiam lippitudo haec, propter quam non ipse ad te scribo, sine ulla lacrima est, sed saepe odiosa propter vigiliis. Att. XVI, 15, 1: Noli putare pigritia me facere, quod non mea manu scribam — sed mehercule pigritia; nihil enim habeo, quod dicam, et tamen in tuis quopue epistulis Alexim videor agnoscere. Sed ad rem venio.

Fam. X, 5, 3: Adhuc enim — patitur tua summa humanitas et sapientia me, quod sentiam, libere dicere — fortuna suffragante videris res maximas consecutus. Fam. I, 7, 8: Quod eo liberius ad te scribo, quia non solum temporibus his, quae per te sum adeptus, sed iam olim nascenti prope nostrae laudi dignitatisque favisti, simulque quod video non, ut antehac putabam, novitati esse invisum meae. Fam. II, 7, 1: Non scribo hoc temere; cui scribam, video; novi animum, novi consilium tuum. Fam. IV, 13, 5: Non scribo hoc temere; quo minus familiaris sum, hoc sum ad investigandum curiosior. Att. X, 18, 2: Sed hoc quoque timide scribo: ita omnia tarda adhuc et spissa. Ut male posuimus initia, sic cetera sequuntur.

Simul et Praesens et Perfectum hac ratione usurpantur his duobus in locis: Att. III, 10, 3: Haec eo scripsi, ut potius relevares me, quod facis, quam ut castigatione aut obiurgatione dignum putares; eoque ad te minus multa scribo, quod et maerore impediatur et, quod expectem istinc, magis habeo, quam quod ipse scribam. Fam. XIII, 69, 1: Haec ad te eo pluribus scripsi, ut intellegeres me non † vulgare nec ambitiose, sed ut pro homine intimo ac mihi pernecessario scribere.

§ 51. II. In media aliqua re explicanda, cum scribendi verba ad eam ipsam per-

63: Cf. Servii Sulpicii ep. Fam. IV, 5, 6. Planci ep. Fam. X, 7, 1. Bruti epp. [Brut. I, 7, 1. 13, 2].

tinent, Praesens usurpari solet (cf. §§ 49. 50). Att. XII, 41, 2: Sed tamen feres hoc ipsum, quod scribo, ut omnia mea fers ac tulisti. Omnes tuas consolationes unam hanc in rem velim conferas. Fam. XI, 29, 3: Tu, mi Oppi, conservabis amorem tuum — etsi more magis hoc quidem scribo, quam quo te admonendum putem — meaque omnia tuebere. Q. F. II, 15b, 3: Haec ita sentio, iudico, ad te explorete scribo. Dubitare te non adsentatorie, sed fraterne veto. Att. XVI, 13a, 1: Cum autem luceret, ante scripta epistula ex tuabus tuis prior mihi legi coepta est. Illa omnium elegantissima. Ne sim salvus, si aliter scribo ac sentio: nihil legi humanius. Att. X, 18, 2: Tu tamen, si quid de Hispaniis sive quid aliud, perge, quaeso, scribere, nec meas litteras exspectaris, nisi cum, quo opto, pervenerimus, aut si quid ex cursu; sed hoc quoque timide scribo: ita omnia tarda adhuc et spissa. Ut male posuimus initia, sic cetera sequuntur. Fam. IV, 13, 3: Videor mihi perspicere primum ipsius animum, qui plurimum potest, propensum ad salutem tuam. Non scribo hoc temere. Quo minus familiaris sum, hoc sum ad investigandum curiosior. Fam. II, 7, 1: Nemo est, qui tibi sapientius suadere possit te ipso; nunquam labere, si te audies. Non scribo hoc temere; cui scribam, video; novi animum, novi consilium tuum; non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias, si ea defendas, quae ipse recta esse senties. Att. IV, 1, 1: Cum primum Romam veni fuitque, cui recte ad te litteras darem, nihil prius faciendum mihi putavi, quam ut tibi absentem de reditu nostro gratularer. Cognoram enim — ut vere scribam — te in consiliis mihi dandis nec fortiozem nec prudentiozem quam me ipsum. Cf. Q. F. III, 1, 6, 21. Fam. IX, 24, 4. Att. XVI, 5, 2: Quod nisi fidem mihi fecisset indicassemque hoc, quod dico, firmum fore, non fecissem id, quod dicturus sum. Duxi enim mecum adolescentem ad Brutum. Sic ei probatum est, quod ad te scribo, ut ipse crediderit, me sponsorem accipere noluerit eumque laudans amicissime mentionem tui fecerit, complexus osculatusque dimiserit. Q. F. I, 1, 5, 16: Quos ego universos adhiberi liberaliter, optimum quemque hospitio amicitiaque coniungi dico oportere; nimiae familiaritates eorum neque tam fideles sunt . . . et invident non nostris solum, verum etiam suis. Q. F. II, 10, 2: Marium autem nostrum in lecticam mehercule coniecissem . . . Hunc, ut dico, certe sustulissem, ut aliquando subtilitatem veteris urbanitatis et humanissimi sermonis attingerem: sed hominem infirmum in villam apertam ac ne rudem quidem etiam nunc invitare nolui. Cf. Att. XIV, 15, 2. Fam. XII, 6, 1. XIII, 8, 2. [Brut. I, 18, 2]. Att. IX, 7, 7: Extremum est, ut tibi argumentum ad scribendum fortasse iam desit — nec enim alia de re nunc ulla scribi potest; et de hac quid iam amplius inveniri potest? — sed quoniam et ingenium suppeditat — dico mehercule ut sentio — et amor, quo et meum ingenium incitatur, perge, ut facis, et scribe, quantum potes. Fam. IX, 15, 1: Nam cum a satis multis — non enim possum aliter dicere — et coli me videam et diligi, nemo est illorum omnium mihi te iucundior. Fam. XIII, 77, 3: Hunc si tu mihi restituendum curaris, non possum dicere, quam mihi gratum futurum sit. Fam. XIII, 29, 4: Cum signaretur argentum Apolloniae, non possum dicere eum praefuisse neque possum negare adfuisse, sed non plus duobus an tribus mensibus. Cf. Q. F. III, 1, 6, 21. Fam. IX, 24, 2: Deinde etiam vereor — licet enim verum dicere — ne nescio quid illud, quod solebas, dediscas et obliviscare,

cenulas facere. Fam. X, 5, 3: Adhuc enim — patitur tua summa humanitas et sapientia me, quod sentiam, libere dicere — fortuna suffragante videris res maximas consecutus. Fam. XII, 9, 2: Exigua enim spes est rei publicae; nam nullam non libet dicere. Fam. V, 5, 2: Contra etiam esse aliquid abs te profectum ex multis audivi; nam 'comperisse' me non audeo dicere, ne forte id ipsum verbum ponam, quod abs te aiunt falso in me solere conferri. Fam. VII, 3, 2: Cuius me mei facti poenituit non tam propter periculum meum quam propter vitia multa, quae ibi offendi, quo veneram . . . Extra ducem paucosque praeterea — de principibus loquor — reliquos primum in bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam victoriam horrerem. Att. I, 16, 8: Idem ego ille — non enim mihi videor insolenter gloriari, cum de me apud te loquor, in ea praesertim epistula, quam nolo aliis legi — idem, inquam, ego recreavi afflictos animos bonorum. Q. F. III, 4, 4: Simul et illud — sine ulla εἰρωνείᾳ loquor — tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo quam mihi. Fam. VII, 11, 3: Haec ego non rideo, quamvis tu rideas, sed de re severissima tecum, ut soleo, iocor. Remoto ioco tibi hoc amicissimo animo praecipio, ut . . . perferas nostri desiderium. Fam. IX, 24, 4: Sed cave, si me amas, existimes me, quod iocosius scribam, abiecissem curam rei publicae. Sic tibi, mi Paete, persuade, me dies noctesque nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei cives salvi liberique sint. Q. F. I, 2, 3, 11: Quid multa? Ferebat graviter et vehementer mecum querebatur orabatque, ut ad te quam diligentissime scriberem: quod facio et te prorsus vehementer etiam atque etiam rogo, ut et procuratoribus Flavii remittas de deminuendo et Apollonidensibus ne quid perscribas, quod contra Flavium sit, amplius. Att. XIII, 7, 2: Jussi equidem ei nuntiarum te, quoad potuisses, exspectasse eius adventum venturumque, si audisses, meque, ut facio, continuo te certiore esse facturum. Att. I, 18, 6: Familiaris noster — sic est enim, volo te hoc scire — Pompeius togulam illam pictam silentio tuetur suam. Fam. XIII, 41, 1: Quae fecisti L. Luceii causa, scire te plane volo te homini gratissimo commodasse. Att. III, 15, 4: Ego, si me aliquando vestri et patriae compotem fortuna fecerit, certe efficiam, ut maxime laetere unus ex omnibus amicis meaque officia et studia, quae parum antea luxerunt — fatendum est enim — sic exsequar, ut me aequae tibi ac fratri et liberis nostris restitutum putes. [Brut. I, 15, 1: Cave enim existimes, Brute — quamquam non necesse est ea me ad te, quae tibi nota sunt, scribere; sed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo silentio praeterire — cave putes probitate, constantia, cura, studio rei publicae quicquam illi esse simile].⁶⁴

§ 52. Sequuntur hunc usum nonnulla exempla proximis similia, quamquam spectant ad totam epistulam (cf. §§ 3—5. 13. 14). Att. XVI, 3, 1: Tu vero sapienter — nunc demum enim rescribo iis litteris, quas mihi misisti, convento Antonio Tiburi — sapienter igitur, quod manus dedisti quodque etiam ultro gratias egisti. Att. XI, 13, 1: P. Siser reddiderat eas, quibus rescribo. Att. XIV, 1, 2: Valde vehementer eum visum est et libere dicere; atque etiam

64. Cf. Attici ep. Att. IX, 10, 9. Balbi ep. Att. IX, 7 B, 3. Caelii ep. Fam. VIII, 6, 5. Planci ep. Fam. X, 24, 6. Q. Cic. de pet. cons. 12, 49. D. Bruti epp. Fam. XI, 13, 2. 26. M. Bruti ep. [Brut. I, 16, 1].

— ut enim quidque succurrit, libet scribere — proxime, cum Sestii rogatu apud eum fuissem exspectaremque sedens, quoad vocares, dixisse eum: 'Ego dubitem, quin summo in odio sim, cum M. Cicero sedeat nec suo commodo me convenire possit?'

Praesens aptum ex coniunctione dum legitur Q. F. II, 15 b, 2: Verum attende nunc, mi optime et suavissime frater, ad ea dum rescribo, quae tu in hac eadem epistula πραγματικῶς valde scripsisti.

§ 53. III. In usurpandis aut Revocationis aut Praeteritionis figuris Praesens ponitur his in locis (cf. §§ 57. 60):⁶⁵ Fam. IX, 17, 3: Sed longius progredior; scribo enim ad te. Fam. XII, 6, 2: Sed longa oratio est, et tu occupatus es in meo fortasse aliquo negotio. Fam. XI, 25, 2: Sed quid ago? Non imitor λακωνισμὸν tuum; altera iam pagella procedit. Vince et vale! Fam. IX, 10, 3: Sed quid ago? Cum mihi sit incertum, tranquillone sis animo an ut in bello in aliqua maiuscula cura negotiove versere, labor longius: cum igitur mihi erit exploratum te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. Att. I, 16, 10: Sed quid ago? Paene orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. Fam. IX, 16, 9: Sed quid haec loquimur? Liceat modo isto venire. Fam. IX, 6, 6: Sed plus facio, quam Caninius mandavit. Is enim, si quid scirem, rogarat, quod tu nescires; ego tibi ea narro, quae tu melius scis quam ipse, qui narro. Fam. II, 4, 1: In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem, et hoc, quicquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei. Fam. XII, 4, 2: Scriberem plura, si rem causamque nossem. Nunc quae scribo, ex opinione hominum scribo. Fam. IX, 25, 3: Quid multa? Non mehercule tam perscribere possum, quam mihi gratum feceris, si otiosum Fadum reddideris. Att. XI, 25, 3: Haec etiam, si tibi videbitur, cum Terentia loquere tu opportune; non queo omnia scribere. Fam. XI, 25, 2: Plura scribere non debeo, praesertim ad te, quo magistro brevitatis uti cogito. Fam. VII, 17, 3: Pluribus te hortari non debeo; tantum moneo, neque amicitiae confirmandae clarissimi ac liberalissimi viri neque uberioris provinciae neque aetatis magis idoneum tempus, si hoc amiseris, te esse ullum unquam reperturum. Fam. XIII, 53, 2: Sed non mihi videor, cum tibi totum hominem diligentissime commendarim, singulas ad te eius causas perscribere debere. Summa illa est: Quicquid officii, beneficii, honoris in Genuciliam contuleris, id te existimabo in me ipsum atque in rem meam contulisse. Fam. XIV, 3, 5: Si perficitis, quod agitis, me ad vos venire oportet; sin autem — sed nihil opus est reliqua scribere. Fam. VI, 10, 3: Singula persequi non est necesse; universum studium meum et benevolentiam ad te defero. Att. VII, 2, 8: Cupio ad omnes tuas epistulas, sed nihil necesse est; iam enim te videbo. Fam. VI, 9, 2: Nihil attinet me plura scribere; quam mihi necesse sit eius salutem et fortunas, quibuscumque rebus possim, tueri, vides. Att. I, 20, 1: Qua de re cum ad me ita suaviter, diligenter, officiose, humaniter scripseris, ut non modo te hortari amplius non debeam, sed ne exspectare quidem abs te aut ab ullo homine tantum facilitatis ac mansuetudinis potuerim, nihil duco esse commodius quam de his rebus nihil

65. Cf. Seyffert. Scholl. Lat., Lps. 1855, I, §§ 41. 43.

iam amplius scribere: cum erimus congressi, tum, si quid res feret, coram inter nos conferemus. Q. F. II, 8, 1: Sed cetera, ut scribis, praesenti sermoni reserventur; hoc tamen non queo differre: Idibus Maiis senatus frequens divinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. Fam. VI, 6, 1: Nunc, ut spero, brevi gratulabimur; itaque in aliud tempus id argumentum epistulae differo. His autem litteris animum tuum . . . confirmandum etiam atque etiam puto. Att. XIII, 21, 5: Hui, quam diu de nugis! De re enim nihil habeo, quod loquar. Att. XI, 19, 2: Philotimus dicitur Id. Sext.; nihil habeo de illo amplius. Att. VII, 5, 3: Sed haec propediem coram. Iam plane mihi deest, quod ad te scribam; nec enim de re publica, quod uterque nostrum scit, eadem, et domestica nota sunt ambobus. Q. F. II, 13, 3: Omnia conligo, ut novi scribam aliquid ad te. Sed, ut vides, res me ipsa deficit. Fam. XII, 25a, 7: Verum haec hactenus. Ab aliis te de me quam a me ipso malo cognoscere. Fam. VI, 14, 1: Sed quae faciam fecerimque pro te, ex illorum te litteris quam ex meis malo cognoscere; quid autem sperem aut confidam et exploratum habeam de salute tua, id tibi a me declarari volo. Cf. Fam. XI, 6, 3. XII, 7, 1. 22, 1. 24, 1. 2. [Brut. I, 3, 2. II, 1, 3]. Fam. XV, 18: Sed flagitat tabellarius: valebis igitur meque, ut a puero fecisti, amabis.⁶⁶

Fam. XI, 27, 2: Multa praetereo, quae temporibus illis inter nos familiarissime dicta, scripta, communicata sunt; graviora enim consecuta sunt. Fam. VI, 6, 5: Quae praeterea providerim, praetereo; nolo enim hunc de me optime meritum existimare ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga et princeps, sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet. Att. XV, 4, 3: Redeo ad superiorem, ex qua praetereo illa prima de Buthrotiis, quae mihi sunt inclusa medullis, sit modo, ut scribis, locus agendi. [Brut. I, 15, 6: Longa sunt, quae restant, praetereunda; sunt enim de me: tantum dico, Caesarem hunc adulescentem, per quem adhuc sumus, si verum fateri volumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum]. Att. VII, 2, 8: Mitto alia, quae audio multa, mitto furta: fugam non fero, qua mihi nihil visum est sceleratius. Att. XI, 24, 3: De Terentia autem — mitto cetera, quae sunt innumerabilia — quid ad hoc addi potest? Fam. XV, 4, 12: Mitto, quod invidiam, quod pericula, quod omnes meas tempestates et subieris et multo etiam magis, si per me licuisset, subire paratissimus fueris. [Brut. II, 7, 2: Sed haec omitto; res enim a te gesta memorabilis et paene caelestis repellit omnes reprehensiones, quippe quae ne laude quidem satis idonea adfici possit]. Fam. XV, 21, 2: Nam ut illa omittam, quae civitate teste fecisti . . . ut haec recentia, quae meminero semper, obliviscar . . . ut haec igitur omittam, quae mihi tanti aestimanda sunt, quanti vitam aestimo et salutem meam: liber iste, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui! Q. F. III, 9, 3: Quam autem te velim cautum esse in scribendo, ex hoc conicito, quod ego ad te ne haec quidem scribo, quae palam in re publica turbantur, ne cuiusquam animum meae litterae interceptae offendant. Fam. XIII, 7, 2: Hoc etsi commune ei videtur esse cum multis, tamen mihi crede singularis

66. Cf. Caelli epp. Fam. VIII, 6, 2. 15, 1. D. Bruti ep. Fam. XI, 10, 2.

huic municipio calamitates accidisse, quas idcirco non commemoro, ne de miseriis meorum necessariorum conquerens homines, quos nolo, videar offendere. Att. IV, 1, 8: Praeterea sunt quaedam domestica, quae litteris non committo. Fam. I, 8, 1: Ex eodem de toto statu rerum communium cognosces; quae quales sint, non facile est scribere: sunt quidem certe in amicorum nostrorum potestate. Att. I, 17, 3: Atque huius incommodi culpa ubi resideat, facilius possum existimare quam scribere. Fam. XV, 16, 3: Qui id tibi in mentem venit? inquires. Quia nihil habebam aliud, quod scriberem. De re publica enim nihil scribere possum; nec enim, quod sentio, libet scribere. Att. XIII, 20, 2: Ad Ligarianam de uxore Tuberonis et privigna neque possum iam addere — est enim pervolgata — neque Tuberonem volo offendere; mirifice est enim *φιλῆτιος*. [Brut. I, 15, 1: Messallam habes. Quibus igitur litteris tam accurate scriptis adsequi possum, subtilius ut explicem, quae gerantur quaeque sint in re publica, quam tibi is exponet, qui et optime omnia novit et elegantissime expedire et deferre ad te potest?] Fam. II, 8, 2: Neque enim fuit, quod tu plus providere posses quam quivis nostrum in primisque ego, qui cum Pompeio complures dies nullis in aliis nisi de re publica sermonibus versatus sum; quae nec possunt scribi nec scribenda sunt. Cf. [Brut. I, 1, 1: Multa eius indicia, sed ad scribendum non necessaria; volo enim testimonium hoc tibi videri potius quam epistulam]. Att. X, 1, 4: Me legatum iri non arbitror, cuius adhuc, ut optavi, mentio facta nulla est. Eo minus habeo necesse scribere aut etiam cogitare, quid sim facturus, si acciderit, ut leger. Att. I, 17, 2: Nam quanta sit in Quinto fratre meo comitas, quanta iucunditas, quam mollis animus ad accipiendam et ad deponendam offensionem, nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere. Fam. IV, 7, 3: De quo quid sentiam, nihil attinet dicere, cum appareat, ipse quid fecerim. Fam. VI, 12, 2: Itaque cum Caesar amentia quadam raperetur et oblitus nominis atque honorum suorum Ariminum, Pisaurum, Anconam occupavisset, urbem reliquimus; quam sapienter aut quam fortiter, nihil attinet disputari; quo quidem in casu simus, vides.⁶⁷

§ 54. Adiungitur non raro Praesentibus aut ad revocandum aut ad praetereundum pertinentibus, quo eius, qui scribit litteras, animus afficiatur in scribendo (cf. §§ 49. 50).⁶⁸

Att. X, 18, 3: Equem tu hominem infeliciorem? Non loquor plura, re te quoque excruciem. Ipse conficior venisse tempus, cum iam nec fortiter nec prudenter quicquam facere possim. Att. III, 2: Plura scribere non possum; ita sum animo perculso et abiecto. Att. IX, 12, 1: Non medius fidius prae lacrimis possum reliqua nec cogitare nec scribere. Misi ad te exemplum. Att. XI, 7, 6: O rem miseram! Quid scribam? Aut quid velim? Breve faciam; lacrimae enim se subito profuderunt. Tibi permitto; tu consule! Tantum vide, ne hoc tempore isti obesse aliquid possit! Ignosce, obsecro te! Non possum prae fletu et dolore diutius in hoc loco commorari; tantum dicam, nihil mihi gratius esse, quam quod eam diligis. Att. VI, 4, 3: Non queo tantum, quantum vereor, scribere; tu autem fac, ut mihi tuae lit-

67. Cf. Q. Cic. de pet. cons. 3, 10. C. Asinii Pollionis ep. Fam. X, 31, 5. Bruti ep. [Brut. I, 7, 2].

68. Cf. Seyffert. Scholl. Lat. I, § 41, 2.

terae volent obviae! Haec festinans scripsi in itinere atque agmine. Fam. XIV, 4, 3: Non queo plura iam scribere; inpedit maeror. Fam. XIV, 1, 5: Non queo reliqua scribere — tanta vis lacrimarum est — neque te in eundem fletum adducam. Tantum scribo: si erunt in officio amici, pecunia non deerit. Fam. V, 5, 2: Sed ea, quae ad me delata sunt, malo te ex Pomponio, cui non minus molesta fuerunt, quam ex meis litteris cognoscere. Att. II, 18, 3: Sed de re publica non libet plura scribere: displiceo mihi nec sine summo scribo dolore. Q. F. I, 3, 10: Reliqua, ita mihi salus aliqua detur potestasque in patria moriendi, ut me lacrimae non sinunt scribere! Att. XI, 9, 3: Haec ad te die natali meo scripsi, quo utinam susceptus non essem aut ne quid ex eadem matre postea natum esset! Plura scribere fletu prohibeor. Att. VIII, 8, 2: O rem lugubrem! Itaque intercludor dolore, quo minus ad te plura scribam. Tuas litteras exspecto. Fam. XIII, 2: Inpedior verecundia, ne te pluribus verbis rogem. Att. III, 8, 4: Me et meorum malorum memoria et metus de fratre in scribendo inpedit: tu ista omnia vide et gubernam! Fam. VI, 4, 4: Sed haec satis multa vel plura potius, quam necesse fuit; facit autem non loquacitas mea, sed benevolentia longiores epistulas. [Brut. I, 15, 2: Sed provehor amore: non enim id propositum est huic epistulae, Messallam ut laudem]. Att. XV, 5, 1: O rem miseram! Plane non habeo, quod scribam: itaque silentio puto me usurum, nisi quid aliud tibi videtur. Att. I, 12, 4: Quod praeterea ad te scribam, non habeo, et mehercule eram in scribendo conturbator; nam puer festivus, anagnostes noster, Sositheus decesserat meque plus, quam servi mors debere videbatur, commoverat. Att. III, 8, 2: Reliqua quam mihi timenda sint, video, nec quid scribam, habeo et omnia timeo, nec tam miserum est quicquam, quod non in nostram fortunam cadere videatur. Fam. XIV, 19: In maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliae nostrae, de qua nihil est, quod ad te plura scribam; tibi enim aequae magnae curae esse certo scio. Fam. VII, 30, 2: Quid, si cetera scribam? Sunt enim innumerabilia generis eiusdem, quae quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiae portum contulissem . . . Sed haec alias pluribus.⁶⁹

Att. III, 10, 2: Mitto cetera intolerabilia: etenim fletu prohibeor. Att. XI, 5, 1: Quae me causae moverint, quam acerbae, quam graves, quam novae, coegerintque impetu magis quodam animi uti quam cogitatione, non possum ad te sine maximo dolore scribere; fuerunt quidem tantae, ut id, quod vides, effecerint. Itaque nec quid ad te scribam de meis rebus nec quid a te petam, reperio. Att. XV, 15, 2: Superbiam autem ipsius reginae, cum esset trans Tiberim in hortis, commemorare sine magno dolore non possum: nihil igitur cum istis, nec tam animum me quam vix stomachum habere arbitrantur. Fam. I, 4, 3: Ego neque de meo studio neque de non nullorum iniuria scribendum mihi esse arbitror: quid enim aut me ostentem, qui, si vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar meritorum tuorum adsecutus, aut de aliorum iniuriis querar? Quod sine summo dolore facere non possum. Fam. XVI, 2, 1: Non queo ad te nec libet scribere, quo animo sim affectus; tantum scribo, et tibi et mihi maximae voluptati fore, si te firmum quam primum videro. Att. XII,

69. Cf. Servii Sulpicii ep. Fam. IV, 5, 6.

15, 3: Haec ad te scribo, non ut queas tu demere sollicitudinem, sed ut cognoscam, cequid tu ad ea adferas, quae me conficiunt; ad quae gener accedit et cetera, quae fletu reprimor ne scribam. Quin etiam Aesopi filius me excruciat. Prorsus nihil abest, quin sim miserimus. Att. III, 20, 1: Me miserum! Quam omnia essent ex sententia, si nobis animus, si consilium, si fides eorum, quibus credidimus, non defuisset! Quae colligere nolo, ne augeam maerorem. Fam. II, 4, 1: Reliqua sunt epistularum genera duo, quae me magno opere delectant, unum familiare et iocosum, alterum severum et grave. Utro me minus deceat uti, non intellego. Jocerne tecum per litteras? Civem mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit. An gravius aliquid scribam? Quid est, quod possit graviter a Cicerone scribi ad Curionem nisi de re publica? Atqui in hoc genere haec mea causa est, ut neque ea, quae sentio, neque ea, quae non sentio, velim scribere. Quam ob rem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea clausula, qua soleo, teque ad studium summae laudis cohortabor. Fam. II, 12, 1: Sed tamen me nihil magis sollicitabat quam in his molestiis non me, si quae ridenda essent, ridere tecum: sunt enim multa, sed ea non audeo scribere. Att. VII, 4, 3: Quod si ruere coeperit, ne ego multa timeo, quae non audeo scribere. Cf. Att. XV, 13, 7. Fam. IV, 7, 5. Fam. II, 5, 1: Haec negotia quo modo se habeant, ne epistula quidem narrare audeo.

§ 55. IV. Ponitur Praesens in transeundo ad rem aliquam tractandam (cf. §§ 7. 55. 57. 58).⁷⁰

Atque ab exordio transitur ad tractationem Att. XVI, 15, 1: Noli putare pigritia me facere, quod non mea manu scribam — sed mehercule pigritia; nihil enim habeo aliud, quod dicam, et tamen in tuis quoque epistulis Alexim videor adgnoscerem. Sed ad rem venio. Fam. I, 9, 3. 4: De qua ratione tota iam videtur mihi exponendi tempus dari, ut tibi rescribam ad ea, quae quaeris . . . Quod tibi ut planius exponam, altius paullo rationem consiliorum meorum repetam necesse est.⁷¹

Ad singulos tractationis locos transitur Att. III, 15, 1. 2: Accepi Idibus Sextilibus quattuor epistulas a te missas . . . Ad primam tibi hoc scribo, me ita dolere, ut non modo a mente non deserar, sed id ipsum doleam, me tam firma mente ubi utar et quibuscum, non habere. Att. II, 23, 1. 2: Nam cum vacui temporis nihil haberem et cum recreandae voculae causa necesse esset mihi ambulare, haec dictavi ambulans. Primum igitur illud te scire volo, Sampsiceramum, nostrum amicum, vehementer sui status paenitere restituique in eum locum cupere, ex quo decidit. Fam. XIII, 41, 1. 2: Quae fecisti L. Luceii causa, scire te plane volo te homini gratissimo commodasse, et cum ipsi, quae fecisti, pergrata sunt, tum Pompeius, quotienscumque me videt — videt autem saepe — gratias tibi agit singularis. Addo etiam illud, quod tibi iucundissimum esse certo scio, me ipsum ex tua erga Luceium benignitate maxima voluptate adfici. Quod superest . . . abs te vehementer etiam atque etiam peto, ut

70. Cf. Seyffert. Scholl. Lat. I, §§ 7 sqq.

71. Cf. Bruti ep. [Brut. I, 17, 1].

ea, quae initio ostendisti, deinceps fecisti, ad exitum augeri et cumulari per te velis. Att. VI, 2, 6. 7: Habebam acta urbana usque ad Nonas Martias, e quibus intellegebam Curionis nostri constantia omnia potius actum iri quam de provinciis: ergo, ut spero, propediem te videbo. Venio ad Brutum tuum, immo nostrum. Fam. XV, 21, 4: Nunc ad epistulam venio, cui copiose et suaviter scriptae nihil est, quod multa respondeam. Cf. Att. V, 1, 3. 4, 2. VII, 2, 3. 3, 10. XII, 6, 2. Q. F. II, 16, 4. III, 1, 5, 17. [Brut. I, 15, 3]. Fam. III, 11, 4: Nunc ad alteram epistulam venio. Att. XIV, 20, 4: Veniom ad tertiam. Cf. Q. F. III, 1, 4, 12. Att. V, 10, 5: Quid est praeterea? Nihil sane nisi illud: Valde me Athenae delectarunt. Fam. XI, 8, 2: Reliquum est, ut de me id scribam, quod te ex tuorum litteris et spero et malo cognoscere, me neque deesse ulla in re neque umquam defuturum dignitati tuae. Att. XI, 16, 5: Extremum est, quod te orem, si putas rectum esse et a te suscipi posse, cum Camillo communices, ut Terentiam moneatis de testamento. Fam. XV, 14, 6: Extremum illud est de iis, quae proposueram, confirmatio nostrae amicitiae, de qua pluribus verbis nihil opus est: tu puer me adpetisti; ego autem semper ornamento te mihi fore duxi. Fam. XV, 4, 16: Extremum illud est, ut quasi diffidens rogationi meae philosophiam ad te adlegem, qua nec mihi carior ulla umquam res in vita fuit nec hominum generi maius a deis munus ullum est datum.⁷²

A tractatione transitur ad conclusionem Fam. XIII, 64, 2: Summa huius epistulae haec est, ut ornes omnibus rebus Neronem, sicuti instituisti atque fecisti. Fam. XIII, 53, 2: Sed non mihi videor, cum tibi totum hominem diligentissime commendarim, singulas ad te eius causas perscribere debere. Summa illa est: Quicquid officii, beneficii, honoris in Genucilium contuleris, id te existimabo in me ipsum atque in rem meam contulisse.

Ad aliam alicuius loci partem transitur Fam. V, 20, 2: Itaque huic loco primum respondeo me, quamquam iustis de causis rationes referre properarim, tamen te exspectatum fuisse, nisi in provincia relictas rationes pro relatis haberem. Fam. VII, 3, 3: Ex omnibus autem iis, quae dixi, incommodis nihil tolerabilius exsilio, praesertim innocenti, ubi nulla adiuncta est turpitudinis; addo etiam, cum ea urbe careas, in qua nihil sit, quod videre possis sine dolore. Att. I, 19, 3: Atque hoc loco non queo praeterire, quod, cum de consularibus mea prima sors exisset, una voce senatus frequens retinendum me in urbe censuit.⁷³

Transitur ad res singulas Fam. V, 2, 10: Atque hoc ipso tempore tibi paene minitanti nobis per litteras hoc rescribo atque respondeo: Ego dolori tuo non solum ignosco, sed summam etiam laudem tribuo. Att. VI, 1, 21: De M. Antonio iterum iam tibi rescribo te illi probe respondisse; paullo vellem fidentius. Att. X, 5, 1: De tota mea cogitatione scripsi ad te antea satis, ut mihi visus sum, diligenter. De die nihil sane potest scribi certi praeter hoc: non ante lunam novam. Cf. Fam. I, 7, 4. V, 17, 3. XIII, 24, 2. Att. XIII, 21, 2: Narro tibi: Quintus cras; sed ad me an ad te, nescio. Att. XV, 15b: Narro tibi: Haec loca venusta

72. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 8, 1. Servii Sulpicii ep. Fam. IV, 5, 4. Attici verba Att. IX, 10, 4. Q. Cic. de pet. cons. 4, 13. 13, 50.

73. Cf. Q. Cic. de pet. cons. 10, 39. 11, 41.

sunt, abdita certe et, si quid scribere velis, ab arbitris libera. Att. XI, 24, 1: Narro tibi: Antea subirascebar brevitati tuarum litterarum; nunc loquax esse videor; te igitur imitabor. Att. XIII, 23, 3: Omni tibi adseveratione adfirmo, quod mihi credas velim, mihi maiori offensioni esse quam delectationi possessiunculas meas. Att. XIII, 21, 5: Mirifice Caerellia studio videlicet philosophiae flagrans describit a tuis; istos ipsos 'de finibus' habet. Ego autem confirmo — possum falli, ut homo — a meis eam non habere; numquam enim ab oculis meis afuerunt. Att. XIV, 17 A, 1: Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria satisque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam, tamen non possum non confiteri cumulari me maximo gaudio, quod volgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Fam. XV, 14, 3: De me autem idem tecum his ago litteris, quod superioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam et senatus et populus annuam esse voluit, tempus prorogetur. Q. F. I, 1, 14, 41: Ac iam hoc loco non hortatione, sed precibus tecum fraternis ago, totum ut animum, curam cogitationemque tuam ponas in omnium laude undique conligenda. Q. F. I, 16, 1, 7: Quo de genere multa praecipui possunt, sed hoc et brevissimum est et facillime teneri potest, ut ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, ut si iter Appia via faceres. Fam. V, 13, 2: Itaque hoc saepius dicendum tibi non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror nihil mihi esse potuisse tuis litteris gratius. Fam. III, 8, 5: Atque hoc tamen te scire volo, me de isto sumptu legationum aut minuendo aut remittendo decrevisse nihil, nisi quod principes civitatum a me postulassent. Fam. IX, 24, 1: Volo enim te scire, mi Paete, initium mihi suspicionis et cautionis et diligentiae fuisse litteras tuas. Cf. Fam. IX, 10, 3. [Brut. II, 1, 3]. Fam. I, 7, 2: Quod scire vis, qua quisque in te fide sit et voluntate, difficile dictu est de singulis: unum illud audeo, quod antea tibi saepe significavi, nunc quoque re perspecta et cognita scribere, vehementer quosdam homines . . . invidisse dignitati tuae. Att. II, 22, 6: De re publica nihil habeo ad te scribere nisi summum odium omnium hominum in eos, qui tenent omnia. Fam. I, 5a, 3: De Alexandrina re causaque tantum habeo polliceri me tibi absenti tuisque praesentibus cumulate satisfacturum. Fam. XI, 27, 6: Nam praeter haec, quae commemoravi, quae testata sunt et industria, habeo multa occultiora, quae vix verbis exsequi possum. Omnia me tua delectant, sed maxime cum fides in amicitia, tum lepos, humanitas, litterae. Quapropter redeo nunc ad querelam. — Fam. XIV, 1, 1: Nam quid ego de Cicerone dicam? Qui cum primum sapere coepit, acerbissime dolores miseriasque percepit. Q. F. I, 1, 3, 10: Nam quid ego de Gratidio dicam? Quem certo scio ita laborare de existimatione sua, ut propter amorem in nos fraternum etiam de nostra laboret. Fam. XV, 16, 3: Quamquam quicum loquor? Cum uno fortissimo viro, qui, postea quam forum attigisti, nihil fecisti nisi plenissimum amplissimae dignitatis.⁷⁴

§ 56. Proximo similis is Praesentis usus est, qui exstatin reditu ad propositum, qui dicitur (cf. §§ 53—55. 57).⁷⁵ Att. XIV, 13, 5: Redeo nunc ad epistulam tuam. Att. V,

74. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 11, 3. D. Bruti ep. Fam. XI, 13, 2. M. Bruti ep. [Brut. I, 16, 1].

75. Cf. Seyffert. Scholl. Lat. I, § 42.

21, 13: Sed ad rem redeo. Att. XVI, 15, 3: Redeo ad rem publicam. Att. V, 11, 6: Nunc redeo ad quae mihi mandas. Att. I, 16, 10: Sed quid ago? Paene orationem in epistulam inclusi. Redeo ad altercationem. Cf. Att. VII, 2, 4. XI, 27, 6. XII, 6, 2. XIII, 20, 4. XV, 3, 3. Fam. XV, 19, 4: Nunc, ut ad rem publicam redeam, quid in Hispania geratur, rescribe! Att. VI, 2, 8: Sed iam ad te ipsum revertor. Att. XI, 15, 3: Sed ad primum revertor, quid putes faciendum, occultene aliquo propius veniendum an mare transeundum; nam hic maneri diutius non potest.⁷⁶

§ 57. V. Praesentis usus obtinet praeterea, ubi iis, quae vel non scribuntur vel scribi non possunt vel scribenda non sunt, opponuntur ea, quae scribuntur (cf. §§ 46. 53—56).

Qui usus non raro nobis obviam fit in iis locis, ubi aut Revocationis aut Praerteritionis figuris adiungitur, quae videantur esse scribenda (cf. §§ 53. 54).

Fam. XIV, 1, 5: Non queo reliqua scribere — tanta vis lacrimarum est — neque te in eundem fletum adducam. Tantum scribo: Si erunt in officio amici, pecunia non deerit. Fam. XII, 4, 2: Scriberem plura, si rem causamque nossem. Nunc quae scribo, ex opinione hominum scribo. Fam. VII, 17, 3: Pluribus te hortari non debeo: tantum moneo neque amicitiae confirmandae clarissimi ac liberalissimi viri neque uberis provinciae neque aetatis magis idoneum tempus, si hoc amiseris, te esse ullum reperturum. Fam. XII, 24, 1: Ego nullum locum praetermitto — nec enim debeo — non modo laudandi tui, sed ne ornandi quidem; sed mea studia erga te et officia malo tibi ex tuorum litteris quam ex meis esse nota. Te tamen hortor, ut omni cura in rem publicam incumbas. Fam. XII, 24, 2. 3: Sed haec quoque te ex aliis malo. T. Pinarium, familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, ut maiore non possim. Fam. V, 5, 3: Ea quae sint et cuius modi, poteris ex Pomponio cognoscere. Atque ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut . . . abs te hoc petam, ut, si quid in te residet amoris erga me, id omne in Pomponii negotio ostendas. Cf. Fam. XII, 22, 1. Fam. VI, 10, 3: Singula persequi non est necesse; universum studium meum et benevolentiam ad te defero. Q. F. II, 8, 1: Sed cetera, ut scribis, praesenti sermoni reserventur; hoc tamen non queo differre: Idibus Maiis senatus frequens divinus fuit in supplicatione Gabinio deneganda. [Brut. I, 15, 2. 3: Sed haec hactenus. Venio nunc longo sane intervallo ad quandam epistulam, qua mihi multa tribuens unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius et tanquam prodigus]. Fam. VI, 9, 2: Nihil attinet me plura scribere; quam mihi necesse sit eius salutem et fortunas, quibuscumque rebus possim, tueri, vides. Reliquum est, ut . . . nihil a te petam nisi ut ad eam voluntatem, quam tua sponte erga Caecinam habiturus es, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me a te fieri intellego. Fam. XIII, 53, 2: Sed non mihi videor, cum tibi totum hominem commendarim, singulas ad te eius causas perscribere debere. Summa illa est: Quicquid officii, beneficii, honoris in Genucilius contuleris, id te existimabo in me ipsum atque in rem meam contulisse. Fam. VI, 6, 1: Nunc, ut spero, brevi gratulabimur; itaque in aliud tempus id argu-

76. Cf. D. Bruti ep. Fam. XI, 10, 2. 3. M. Bruti ep. [Brut. I, 17, 4].

mentum epistolae differo. His autem litteris amorem tuum . . . confirmandum etiam atque etiam puto. [Brut. I, 15, 3: Sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare. Quid autem secutus sim in sententiis dicendis, aperire non alienum puto]. Fam. VI, 14, 1: Sed quae faciam fecerimque pro te, ex illorum te litteris quam ex meis malo cognoscere; quid autem sperem aut confidam et exploratum habeam de salute tua, id tibi a me declarari volo. Fam. IX, 10, 3: Sed quid ago? Cum mihi sit incertum, tranquillone sis animo an ut in bello in aliqua maiuscula cura negotio versere, labor longius: cum igitur mihi erit exploratum te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. Te tamen hoc scire volo, vehementer populum sollicitum fuisse de P. Sullae morte, ante quam certum scierit. [Brut. II, 1, 3: Acta quae sint quaeque agantur, scio perscribi ad te diligenter; ex me autem illud est, quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in acie esse neque respectum ullum quaerere, nisi me utilitas civitatis forte converterit].⁷⁷

Fam. XVI, 2, 1: Non queo ad te nec libet scribere, quo animo sim adfectus; tantum scribo, et tibi et mihi maximae voluptati fore, si te firmum quam primum videro. [Brut. I, 15, 6: Longa sunt, quae restant, praetereunda; sunt enim de me: tantum dico, Caesarem, per quem adhuc sumus, si verum fateri volumus, fluxisse ex fonte meorum consiliorum]. Att. III, 15, 2: Nolo commemorare, quibus rebus sim spoliatus, non solum quia non ignoras, sed etiam ne rescindam ipse dolorem meum: hoc confirmo, neque tantis bonis esse privatum quemquam neque in tantas miseras incidisse. Att. XI, 24, 3: De Terentia autem — mitto cetera, quae sunt innumerabilia — quid ad hoc addi potest? Scripseras, ut HS. XII. permutarem, tantum esse reliquum de argento: misit illa CCIO. mihi et adscripsit tantum esse reliquum.⁷⁸

Similiter nonnunquam cum Revocationis aut Praeteritionis figura coniunctus est reditus ad propositum, qui dicitur (cf. §§ 53. 54. 56. 58).⁷⁹ Att. I, 16, 10: Sed quid ago? Paene orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. Att. XII, 6, 2: Sed longa oratio est, et tu occupatus es in meo fortasse aliquo negotio . . . Sed ad prima redeo: librum, si me amas, mitte! Att. VII, 2, 4: Sed haec, opinor, sunt in iis libris, quos tu laudando animos mihi addidisti. Redeo ad rem. Att. XV, 4, 3: Sed *μελῆσαι*. Redeo ad superiorem. Att. XI, 15, 3: Haec ad te scribo, non ut queas tu demere sollicitudinem, sed ut cognoscam, eequid tu ad ea adferas, quae me conficiunt; ad quae gener accedit et cetera, quae fletu reprimor ne scribam. Quin etiam Aesopi filius me excruciat; prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. Sed ad primum revertor, quid putes faciendum.⁸⁰

Sed etiam aliis in locis opponuntur iis, quae vel non scribuntur vel scribi non possunt vel scribenda non sunt, ea, quae scribuntur (cf. §§ 46. 47). Q. F. III, 1, 6, 21: Cum Romam ex Arpinati revertissem, dictum mihi est Hippodamum ad te profectum esse. Non

77. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 6, 2.

78. Cf. Q. Cic. de pet. cons. 3, 10.

79. Cf. Seyffert. Scholl. Lat. I, § 42.

80. Cf. D. Bruti ep. Fam. XI, 10, 2. 3.

possum scribere me miratum esse illum tam inhumaniter fecisse, ut sine meis litteris ad te proficisceretur: illud scribo, mihi molestum fuisse. Att. XVI, 3, 4: Litteris tuis satis responsum est; nunc audi, quod, etsi intellego scribi necesse non esse, scribo tamen. Att. XII, 53: Ego, etsi nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, quia tecum loqui videor. Att. XIV, 12, 3: Quamquam dudum nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, non ut te delectem meis litteris, sed ut eliciam tuas. Fam. XIV, 16: Etsi eius modi tempora nostra sunt, ut nihil habeam, quod aut a te [litterarum] expectem aut ipse ad te scribam, tamen nescio quo modo et ipse vestras litteras expecto et scribo ad vos, cum habeo, qui ferat. Att. XII, 27, 2: Et ego ex tuis animadverto litteris et profecto tu ex meis nihil habere nos, quod scribamus; eadem cotidie, quae iam iamque ipsa contrita sunt: tamen facere non possum, quin cotidie ad te mittam, ut tuas accipiam. Q. F. III, 8, 1: Superiori epistulae quod respondeam, nihil est . . . Tantum te et moneo et rogo, ut in istis molestiis et laboribus et desideriis recordere, consilium nostrum quod fuerit perfectionis tuae. Att. IX, 14, 2: A te nihil ne Anteros quidem litterarum; nec mirum: quid enim est, quod scribamus? Ego tamen nullum diem praetermitto. [Brut. I, 15, 1: Cave enim existimes, Brute — quamquam non necesse est ea me ad te, quae tibi nota sunt, scribere; sed tamen tantum omnium laudum excellentiam non queo silentio praeterire — cave putes probitate, constantia, cura, studio rei publicae quicquam illi esse simile]. Q. F. I, 1, 13, 37: Qua re illud non suscipiam, ut, quae de iracundia dici solent a doctissimis hominibus, ea nunc tibi exponam, cum et nimis longus esse nolim et ex multorum scriptis ea facile possis cognoscere: illud, quod est epistulae proprium, ut is, ad quem scribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat, praetermittendum esse non puto. Att. X, 8, 1: Et res ipsa monebat et tu ostenderas et ego videbam de iis rebus, quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tempus esse; sed cum ad me saepe mea Tullia scribat orans, ut, quid in Hispania geratur, expectem, et semper adscribat idem videri tibi idque ipse etiam ex tuis litteris intellexerim, non puto esse alienum me ad te, quid de ea re sentiam, scribere. Att. XI, 5, 1: Qua re hortatione tu quidem non eges, si ne in illa quidem re, quae a te gesta est post hominum memoriam maxima, hortatorem desiderasti. Illud tamen breviter significandum videtur, populum Romanum omnia a te expectare atque in te aliquando recuperandae libertatis omnem spem ponere. Q. F. III, 3, 1: Qua re non equidem iam te rogo, ut ad me de te, de rebus istis scribas — numquam enim, cum potes, praetermittis — sed hoc te scire volo, nihil fere umquam me sic expectasse, ut, cum haec scribebam, tuas litteras.⁸¹

§ 58. VI. Ponitur item Praesens, ubi aut iis, quae iam scripta sunt, aut iis, quae scribentur, opponuntur ea, quae vel scribuntur vel non scribuntur (cf. §§ 49. 55).

In eius modi locis ubi ostenditur breviter, quae scripta sint in ea, quae scribitur, epistula, et proponitur item, quae sequantur in eadem, Transitionis figuram reperimus

81. Cf. Q. Cic. de pet. cons. 10, 39. C. Cassii ep. Fam. XII, 11, 2. Bruti ep. [Brut. I, 16, 1].

usitatam (cf. § 55).⁸² Att. XVI, 3, 4: Litteris tuis satis responsum est; nunc audi, quod, etsi intellego scribi necesse non esse, scribo tamen. Att. XV, 13, 4: Longiori epistulae superiorique respondi. Nunc breviori quid respondeam nisi eam fuisse dulcissimam? Att. VII, 3, 6: Nunc [venio ad privata] — fere enim respondi tuis litteris de re publica et iis, quas in suburbano, et iis, quas postea scripsisti — ad privata venio. Fam. II, 17, 5: Uni epistulae respondi; venio ad alteram. Att. XIV, 20, 2: Persolvi primae epistulae; venio ad secundam. Cf. [Brut. I, 15, 2. 3: Sed haec hactenus. Venio nunc longo sane intervallo ad quandam epistulam, qua mihi multa tribuens unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius et tamquam prodigus]. Fam. I, 9, 19: Quod quoniam tibi exposui, facilia sunt ea, quae a me de Vatinio et de Crasso requiris. Cf. Fam. XI, 27, 6: Nam praeter haec, quae commemoravi, quae testata sunt et industria, habeo multa occultiora, quae vix verbis exsequi possum. [Brut. I, 15, 10: Satis multa de honoribus; nunc de poena pauca dicenda sunt]. Fam. VI, 8, 1: Quoniam, quid tibi permittatur, cognosti, quid mihi placeat, puto te scire oportere.⁸³

Aliis quoque in locis opponuntur iis, quae scripta sunt in ea, quae scribitur, epistula, ea, quae vel scribuntur vel non scribentur in eadem. Fam. XIII, 63, 2: Sed vereor, ne iam superesse mihi verba putes, quae dixeram defutura: commendo tibi hominem, ut intellegis me, de quo ea supra scripserim, debere commendare, a teque vehementer etiam atque etiam peto, ut, quod habet in tua provincia negotii, expedias, quod tibi videbitur rectum esse, ipsi dicas. Cf. Att. I, 16, 10: Sed quid ago? Paene orationem in epistulam inclusi. Redeo ad altercationem. Cf. Fam. II, 4, 2: In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem, et hoc, quicquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei.

Opponuntur ea, quae non scribuntur, iis, quae sequuntur in eadem epistula Fam. II, 4, 1. 2: Atqui in hoc genere haec mea causa est, ut neque ea, quae sentio, neque ea, quae non sentio, velim scribere. Quam ob rem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, utar ea clausula, qua soleo, teque ad studium summae laudis cohortabor.

Opponuntur iis, quae scripta sunt in alia epistula, ea, quae vel scribuntur vel non scribuntur in ea, quae scribitur, epistula, his in locis: Att. X, 5, 1: De tota mea cogitatione scripsi ad te antea satis, ut mihi visus sum, diligenter. De die nihil sane potest scribi certi nisi hoc: non ante lunam novam. Fam. XV, 14, 5: De me autem idem tecum ago his litteris, quod superioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam . . . tempus prorogetur: hoc a te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem. Fam. XIII, 57, 2: Illud, quod tecum et coram et per litteras diligentissime egi, te nunc etiam atque etiam rogo, curae tibi sit, ut suum negotium . . . pro causae veritate et pro sua dignitate conficiat. Att. XVI, 16 E, 15: Ignosce mihi, quod, cum antea accuratissime de Buthroitiis ad te perscripserim, eadem de re saepius scribam. Non mehercule, mi Plance, facio, quo parum confidam aut

82. Cf. Seyffert. Scholl. Lat. I, §§ 32 sqq

83. Cf. Q. Cic. de pet. cons. 4, 13. 11, 41. 14, 54.

liberalitati tuae aut nostrae amicitiae. Fam. XV, 14, 3: Sed tamen et feci antea et facio nunc tibi cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quod te de provincia decedentem summa laus et summa gratia provinciae prosecuta est. Fam. XIII, 64, 1: Strabonem Servilium tibi saepe commendavi; nunc eo facio impensius, quod eius causam Nero suscepit. Att. XII, 19, 2: Illis egi gratias. Te tamen, ut iam ante ad te scripsi, scire volo me neque isto nuntio esse perturbatum nec iam ullo perturbatum iri. Fam. I, 7, 2: Quod scire vis, qua quisque in te fide sit et voluntate, difficile dictu est de singulis. Unum illud audeo, quod antea tibi saepe significavi, nunc quoque re perspecta et cognita scribere: vehementer quosdam homines . . . invidisse dignitati tuae.

Opponuntur ea, quae vel scribuntur vel non scribuntur, simul et iis, quae in alia epistula iam sunt scripta, et iis, quae scribentur in alia, Att. V, 6, 2: Sed ad te brevior iam in scribendo incipio fieri dubitans, Romaene sis an iam profectus; quod tamen quoad ignorabo, scribam aliquid potius quam committam, ut, tibi cum possint reddi a me litterae, non reddantur. Nec tamen iam habeo, quod aut mandem tibi aut narrem: mandavi omnia; quae quidem tu, ut polliceris, exhaustis; narrabo, cum aliquid habeo novi. Illud tamen non desinam, dum adesse putabo, te de Caesaris nomine rogare, ut confectum relinuas.

Opponuntur ea, quae vel scribuntur vel non scribuntur in ea, quae scribitur, epistula, iis, quae scribentur in alia, his in locis: Att. V, 17, 2: Sed nunc propero: perscribam ad te paucis diebus omnia. Fam. IX, 10, 3: Sed quid ago? Cum mihi erit incertum, tranquillone sis animo an in bello in aliqua maiuscula cura negotiove versere, labor longius: cum igitur mihi erit exploratum te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. Te tamen hoc scire volo, vehementer populum sollicitum fuisse de P. Sullae morte, ante quam certum scierit. Att. VII, 5, 4: Sed haec propediem coram. Iam plane mihi deest, quod ad te scribam; nec enim de re publica, quod uterque nostrum scit eadem, et domestica nota sunt ambobus. Att. X, 13, 2: Cras igitur nos mature videbit mihi dabit argumentum ad te epistulae; iam enim non reperio, quod tibi scribam.

§ 59. Opponuntur epistulis, quae sunt scriptae, totis epistulae, quae scribuntur, totae his in locis: Att. XIII, 23, 1: Antemeridianis tuis litteris heri statim rescripsi; nunc respondeo vespertinis. Att. X, 6, 1: Meas cogitationes omnis explicavi tibi superioribus litteris. Quocirca hae sunt breves, etiam quia festinabam eramque occupatior. Fam. VI, 3, 1. 2: Superioribus litteris benevolentia magis adductus, quam quo res ita postularet, fui longior; neque enim confirmatione nostra egebat virtus tua, neque erat ea mea causa atque fortuna, ut, cui ipsi omnia deessent, alterum confirmarem. Hoc item tempore brevior esse debeo: sive enim nihil tum opus fuit tam multis verbis, nihilo magis nunc opus est, sive tum opus fuit, illud satis est, praesertim cum accesserit nihil novi. Nam etsi cotidie aliquid audimus earum rerum, quas ad te perferri existimo, summa tamen eadem est et idem exitus. Fam. XIII, 12, 1: Alia epistula communitur commendavi tibi legatos Arpinatium ut potui diligentissime, hac separatim Q. Fufidium, quocum mihi omnes necessitudines sunt, diligentius commendo, non ut aliquid de illa commendatione deminuum, sed ut ad illam hanc

addam. Fam. I, 5b, 1: Hic quae agantur quaeque acta sint, ea te et litteris multorum et nuntiis cognosse arbitror; quae autem posita sunt in coniectura quaeque videntur fore, ea puto tibi a me scribi oportere. Fam. VI, 2, 1: Peto a te, ne me putes oblivione tui rarius ad te scribere, quam solebam, sed aut gravitate valetudinis, qua tamen iam paulum videor levare, aut quod absim ab urbe, ut, qui ad te profiscantur, scire non possim. Att. XI, 19, 1: Cum tuis dare possem litteras, non praetermisi, etsi, quid scriberem, non habebam. Tu ad nos et rarius scribis, quam solebas, et brevius, credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere aut audire posse; verum tamen velim, si quid erit, qualecumque erit, scribas. Att. V, 5, 1: Plane deest, quod scribam; nam nec, quod mandem, habeo — nihil enim praetermissum est — nec quod narrem — novi enim nihil — nec iocandi locus; ita me multa sollicitant. Fam. II, 11, 1: Putarasne umquam accidere posse, ut mihi verba deessent, neque solum ista vestra oratoria, sed haec etiam levia nostratia? Desunt autem propter hanc causam, quod mirifice sum sollicitus, quidnam de provinciis decernatur.

Opponuntur epistulis, quae sunt scriptae ad aliquem, aliae, quae scribuntur, sed non ad eum, ad quem scribitur, Att. VI, 2, 7: Omni igitur modo egi cum rege et ago cotidie, per litteras scilicet; ipsum enim triduum quadriduumve mecum habui turbulentis in rebus, quibus eum liberavi. Sed et tum praesens et postea creberrimis litteris non destiti rogare et petere mea causa, suadere et hortari sua.

Ad epistulam, quae ad aliquem scripta est, totam, quae tamen non mittitur ad eundem, sed cuius exemplum mittetur ad eum, ad quem scribitur, spectat locus Att. XIII, 26, 2: Equidem credibile non est quantum scribam, qui etiam noctibus; nihil enim somni. Heri etiam effeci epistulam ad Caesarem; tibi enim placebat: quam non fuit malum scribi, si forte opus esse putares; ut quidem nunc est, nihil sane est necesse mittere. Sed id quidem, ut tibi videbitur. Mittam tamen ad te exemplum fortasse Lanuvio, nisi forte Romam. Sed cras scies.

Neque tamen hunc Praesentis usum, sed stili epistularis rationem in iis cernimus locis, in quibus epistulae, quae scribuntur, totae opponuntur iis, quae scribentur postea. Att. II, 19, 5: Sed haec scripsi properans et mehercule timide. Posthac ad te aut, si perfidelem habebo, cui dem, scribam plane omnia, aut, si obscure scribam, tu tamen intelleges. Fam. XIV, 7, 2: Navem spero nos valde bonam habere; in eam simulatque conscendi, haec scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiaris multas epistulas, quibus te et Tulliolam nostram diligentissime commendabo. Fam. III, 7, 1: Pluribus verbis ad te scribam, cum plus otii nactus ero. Haec scripsi subito, cum Bruti pueri Laudiceae me convenissent et se Romam properare dixissent; itaque nullas iis praeterquam ad te et ad Brutum dedi litteras. Fam. XII, 20: Plura otiosus; haec, cum essem in senatu, exaravi. Fam. X, 28, 3: Haec tibi, etsi audita esse arbitrabar, volui tamen notiora esse. Plura scribam, si plus otii habuero. Fam. XIII, 6, 2: Qua re Cuspianorum omnium commendationis causam hac tibi epistula exponendam putavi; reliquis epistulis tantum faciam, ut notam adponam eam, quae mihi tecum

convenit, et simul significem de numero esse Cusp̄ii amicorum. Sed hanc commendationem quam his litteris consignare volui, scito esse omnium gravissimam.⁸⁴

§ 60. VII. Denique Praesentis usus obtinet, ubi opponuntur ea, quae vel scribuntur vel non scribuntur, aut ipsa scribendi actio aliis rebus non ita ad scribendum pertinentibus (cf. § 53).

Att. XV, 20, 2: Itaque, mi Attice, fortiter hoc velim accipias, ut ego scribo. Fam. XIV, 16: Etsi eius modi tempora nostra sunt, ut nihil habeam, quod aut a te [litterarum], exspectem aut ipse ad te scribam, tamen nescio quo modo et ipse vestras litteras exspecto et scribo ad vos, cum habeo, qui ferat. Cf. Att. III, 10, 3. Q. F. II, 15b, 3: Haec ita sentio, iudico, ad te explore scribo; dubitare te non adsentatorie, sed fraterne veto. Att. XVI, 13a, 1: Cum autem luceret, ante scripta epistula ex duabus tuis prior mihi legi coepta est: illa omnium quidem elegantissima. Ne sim salvus, si aliter scribo ac sentio: nihil legi humanus. Att. IX, 7, 7: Extremum est, ut tibi argumentum ad scribendum fortasse iam desit — nec enim alia de re nunc ulla scribi potest; et de hac quid iam amplius inveniri potest? — sed quoniam et ingenium suppeditat — dico mehercule, ut sentio — et amor, quo et meum ingenium incitatur, perge, ut facis, et scribe, quantum potes! — Cf. locos ad scribendos libros pertinentes Att. XII, 40, 2: Nunc ipsum ea lego, ea scribo, ut ii, qui mecum sunt, difficilium otium ferant quam ego laborem. Fam. XVI, 22, 1: Ego hic cesso, quia ipse nihil scribo; lego autem libentissime.

Fam. IX, 6, 6: Sed plus facio, quam Caninius mandavit: iure enim, si quid ego scirem, rogarat, quod tu nescires; ego tibi ea narro, quae tu melius scis quam ipse, qui narro. Faciam ergo illud, quod rogatus sum, ut eorum, quae temporis huius sint, quae † tua audiero, ne quid ignores. Fam. XI, 24, 1: Narro tibi: Antea subirascebar brevitati tuarum litterarum; nunc mihi loquax videor; te igitur imitabor. Att. XIV, 15, 2: O mirificum Dolabellam meum! Iam enim dico meum; antea, crede mihi, subdubitabam.

Fam. IV, 13, 6: In hoc toto genere plura faciam, quam scribere audeo. Fam. IX, 25, 3: Quid multa? Non mehercule tam perscribere possum, quam mihi gratum feceris, si otiosum Fadum reddideris. Att. VI, 4, 3: Non queo tantum, quantum vereor, scribere; tu autem fac, ut mihi tuae litterae volent obviae. Haec festinans scripsi in itinere atque agmine. Att. III, 8, 2: Reliqua quam mihi timenda sint, video, nec quid scribam, habeo et omnia timeo, nec tam miserum est quicquam, quod non in nostram fortunam cadere videatur.

Att. X, 2, 4: Me legatum iri non arbitror, cuius adhuc, ut optavi, mentio facta nulla est: eo minus habeo necesse scribere aut etiam cogitare, quid sim facturus, si acciderit, ut leger. Att. IX, 12, 1: Legeram tuas litteras XIII. K., cum mihi epistula adfertur a Lepta circumvallatum esse Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri: non medius fidius prae lacrimis possum reliqua nec cogitare nec scribere. Misi ad te exemplum. Att. I, 17, 3: Atque

84. Cf. Caesaris ep. Att. IX, 13A, 1.

huius incommodi culpa ubi resideat, facilius possum existimare quam scribere; vereor enim, ne, dum defendam meos, non parcam tuis . . . Sed huiusce rei totius vitium, quod aliquanto etiam latius patet, quam videtur, praesenti tibi commodius exponam. Att. III, 10, 3: Res se sic habet: Is bellum confecerit, qui Antonium oppresserit. Hoc quam vim habeat, te existimare malo quam me apertius scribere. Fam. III, 5, 2: Sed haec fieri melius quam dici aut scribi volo.⁸⁴

§ 61. Satis mihi videor explicasse, quem Praesentis usum sequantur scribendi et mittendi et ea verba locutionesque, quae pertinent ad rem aliquam cum aliquo communicandam aut ad rem aliquam personamve ad aliquem mittendam: restat, ut de ceteris verbis locutionibusque pauca et summatim dicenda esse videantur. Atque haec ad exprimenda ea, quae vel sunt vel fiunt scribendi tempore, multo saepius quam illa Praesentibus expressa legi neque eorum usurpari Praeterita epistularem consuetudinem sequentia nisi certis quibusdam condicionibus iam supra commemoravimus (cf. § 41). Quae condiciones cum sint expositae in eo libello, quem proximo anno scriptum edidimus (cf. §§ 20—22. 30—36), hoc loco satis est monere non obtinentibus illis condicionibus ad exprimenda ea, quae vel sunt vel fiunt scribendi tempore, horum verborum adhiberi Praesentia et adicere breviter eo magis ea exstare obtinentibus condicionibus iis, quibus ipsa quoque scribendi et mittendi similiaque verba locutionesque Praesentibus expressa legi supra vidimus (cf. §§ 43—60). Haec res tam facile ex ipsa rei natura consequitur atque ita est in promptu, ut disputatione non egeat; nihil enim attinet rationibus et exemplis confirmare leges a grammaticis nostris satis confirmatas.

Illud vero unum in concludendo hoc loco commemoratione dignum arbitramur, esse verba satis multa, quae, cum designent actiones tales, quae momentum habeant magis in legendis quam in scribendis epistulis, epistularem Praeteritorum usum non sibi sumant. Quorum saepissime nobis obviam venerunt verba cogitationis enuntiatae quiddam indicantia qualia adfirmo (cf. Att. III, 7, 2. IV, 1, 2. XIII, 23, 3. Fam. I, 7, 5. IV, 13, 4), confirmo (cf. Fam. I, 4, 3. III, 10, 1. V, 4, 2. VI, 3, 4. 21, 3), confiteor (cf. Att. XIV, 17 A, 1. Fam. IX, 14, 1), profiteor (cf. Fam. V, 8, 4), adsentior (cf. Att. XIV, 18, 4. 19, 5. Fam. VII, 22) et verba voluntatis enuntiatae qualia oro (cf. Att. III, 1. 3. 5. IV, 1, 8. IX, 11 A, 3. XI, 1, 2. 12, 2. XVI, 16 B, 9. Fam. II, 7, 4. V, 18, 1. VI, 22, 2), rogo (cf. Att. II, 24, 5. IV, 13, 2. XI, 12, 2. 18, 1. 2. XII, 32, 1. 35, 1. XVI, 16 B, 9. Fam. I, 3, 2. II, 7, 4. III, 1, 3. 2, 2. V, 12, 3. 9. 18, 1. XV, 4, 14. 13, 3. XVI, 8, 2. Q. F. III, 3, 1), peto (cf. Att. I, 1, 4. 9, 2. IX, 11 A, 3. XIV, 7, 2. Fam. II, 6, 4. III, 2, 1. V, 4, 2. VII, 5, 3. XV, 6, 2. 7. 12, 2. 13, 2), obsecro (cf. Att. IX, 6, 5. 11 A, 3. XI, 1, 1. 7, 6. XII, 42, 2. XIII, 13, 3. 15), obtestor (cf. Att. IX. 11 A, 3. XI, 1, 1. Fam. VI, 22, 2), postulo (cf. Att. XII, 22, 1), contendo (cf. Fam. XV, 13, 1. Q. F. I, 1, 13, 38), exquiro (cf. Att. XIII, 22, 1. XVI, 8, 2), requiro (cf. Att. IV, 1, 8), mando (cf. Att. V, 9, 2), commendo (cf. Fam. I, 3, 2. II, 6, 5. III, 1, 3. V, 5, 3. XII, 24, 3. XIII, 77, 2), trado (cf. Fam. II, 6, 5. VII, 5, 3),

⁸⁴ Cf. C. Cassii ep. Fam. XII, 11, 2. Bruti ep. [Brut. I, 4, 1].

impono (cf. Att. V, 9, 2. XIV, 19, 4), hortor (cf. Fam. II, 7, 1. IV, 9, 1. V, 18, 1. VI, 10, 4. VII, 17, 3. XV, 1, 4), adhortor (cf. Fam. I, 7, 5), moneo (cf. Fam. VII, 17, 3. XV, 1, 4), admoneo (cf. Fam. IX, 8, 1. Q. F. I, 1, 13, 38), emoneo (cf. Fam. I, 7, 9), promitto (cf. Att. IV, 17, 4. Fam. III, 10, 1. X, 16, 2. XIII, 77, 2), polliceor (cf. Fam. II, 6, 4. V, 8, 4. VI, 22, 3), spondeo (cf. Fam. VI, 10, 5. VII, 5, 3), deterreo (cf. Att. XI, 8, 1. Fam. I, 7, 5), recuso (cf. Att. IX, 7, 1. XV, 4, 3) verbaque affectus alicuius enuntiati quiddam significantia qualia laudo (cf. Att. II, 2, 3. VI, 1, 16. IX, 6, 2. Fam. VII, 1, 5), orno (cf. Att. VI, 1, 16), probo (cf. Att. VI, 1, 2. IX, 6, 2. Fam. VII, 1, 5), reprehendo (cf. Att. VIII, 11 D, 5. X, 3a, 1), accuso (cf. Att. XIII, 22, 5), gratulor (Fam. II, 7, 1. 9, 1. VI, 11, 1. 12, 1. 15), gratias ago (cf. Fam. II, 9, 1).⁸⁵

85. Cf. aliorum epp. Att. VIII, 11 C, 3. 12 B, 1. IX, 7 C, 1. X, 9 A, 1. XIV, 13 A, 3. Fam. VIII, 4. 5. X, 24. 1.

